ORATIO

PHILIPPICA

QVA INTER HVIVS SAECVLI TENEBRAS VERITATIS DOMICILIVM PERSPICVE DEMONSTRATVR.

AVCTORE

Fr. Ioanne Dubliolio Neruio, ordinis Minorum Obseruant. Sacræ Theologiæ professore.




LEODII,

APVD HENRICVM HOVIVM,

ANNO M. D. XCVII.

Superiorum permissu.

3



ILLVSTRISSIMO AC Rmo DOMINO AVGVSTINO CVSANO CARDINALI SERAphici ordinis protectori, Fr. Ioannes Dubliolius Neruius, ordinis Minorum Obseru. Sacræ Theologiæ professor, æternam felicitatem optat.



I vnquam inter varios turbines mundi Resp. Christiana iactata est, Card. Amplissime; nostro certe sæculo, quo nullũ adhuc fuit calamitate fœcundius, in plerisque prouincijs adeò fluctuauit, vt sæuiẽtibus hincinde procellis, insolitaq; tempestate collisa, naufragio proxima videretur. Habuerunt quidem & superiora tempora suas clades, omnisq; mortalium ætas, aliquam aduersarum rerum sensit iniuriam; nec vlli vnquã sæculo suæ querimoniæ defuerunt. Nam in Ecclesiæ nascẽtis exordio, adhuc imperãte perfidia, cuius caput, quãquã à Christo esset obtritũ, mẽbra tamen adhuc in bonos impiè sæuiebant: primùm Iudęi, sed soli, castra Sanctorũ oppugnare ceperũt. Quibus à Vespasianis Adrianoq; deletis, qui nescientes diuinitatis iniuriam vindicarunt: exinde Ro-

mani Principes tribus propè ſæculis, Remp. Chriſtianam, ipſumq́ue veritatis domicilium euertere conati, tandem manus inuictæ fidei dare coacti ſunt. Perſas aliaque orientis regna prætereo, quæ à nobis diſsita, vltra Tigrim & Euphratem procul ab orbe Romano natura ſubmouit; quibus in locis penè eadẽ cõtigiſſe, quæ paſſus eſt occidens, memoriȩ proditũ eſt. Illis igitur primis fidei ſæculis, hæretici quidã, ſed obſcuri, quorum paucitatem & boni ſæpe riſerunt, & cito deleuit obliuio, circũlatrantes ac mordere cupientes, in ſua tantùm viſcera ſæuierunt. Reliqua nunc monſtra prætereo, de quibus poſt agemus pluribus, in quibus hinc Simonis Magi ſchola, inde Valentini inſania, illinc Marcionis impietas, aliorumq́uȩ Chriſtiani nominis hoſtiũ rabies, ita ſingulas exercuit ac vexauit ætates, vt ſuum cuiq; ſæculum attributũ fuiſſe videatur. At nunc inſtante mundi ſenectute, conferta factoque denſo agmine, in noſtrum ſæculum impetũ faciunt, hinc hæreſis atq; perfidia, inde magica impietas, atque equus ille de Apocalypſi exanguis & pallidus, cæteraque portenta iam armis horrida, mortemq́; minitãtia, quibuſcũ magni quidam ac preſtantes viri, ſed impares, vt ita dixerim, & inermes, multis annis fortiſsimè dimicarunt: ſed creſcente in dies ſingulos hoſtium numero, maliſq́; gliſcentibus, dum aduerſarij patrocinium veritatis auertere, ſummoq́; ſtudio debilitare conãtur: nõ victi. (Veritas enim premi poteſt, opprimi non poteſt) attamen ita

fatigati

fatigati sunt, vt multorũ iudicio, inter victos esse videantur. Sed inter hos turbines ac procellas, imaginem sæculi nostri, in Apocalypsi delineatam adumbratamque diuinitus, considerare operæprecium est.

Igitur Beatus Ioannes Euangelista, inter arcana, quæ illi Dominus reuelauit: Quintus, inquit, Angelus tuba cecinit: & vidi stellã de cœlo cecidisse in terrã, & data est ei clauis putei abyssi, & aperuit puteũ abyssi, & ascẽdit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aër de fumo putei. Et de fumo putei exierũt locustæ in terram, & similitudines locustarũ, similes equis paratis in prælium, & super capita earũ, tanquã coronæ similes auro: & facies earũ tanquã facies hominũ: & habebãt capillos, sicut capillos mulierũ, & dentes earũ quasi leonum erant: & habebãt loricas ferreas: & vox alarũ earum, sicut vox curruũ equorũ multorum currentiũ ad bellum: & habebant caudas similes scorpionum, & aculei erãt in caudis earũ. Qui sit hic angelus, qui quinto loco tuba cecinit, quæ stella de cęlo lapsa, qui puteus abyssi, qui fumus ascendẽs, quæ locustarũ similitudines & quæ sequũtur, breuiter ostendit sermo diuinus: sed quoniã mysterijs inuoluta sunt omnia, & quandã expositionis planitiem lucemq; desiderãt, eam Tua Amplitudine iudicante adferre conabimur. Apoc. 9.

Proinde quintus angelus, quẽ magni cõsilij angelũ esse nõ dubiũ est, post veteres Ebionitarũ, Gnosticorum, Arianorũ, cæterarumq;

pestium hæreses, quæ Christianam Ecclesiam mirum in modum antè vexauerãt, sæculi fine iam proximo, tuba cecinit; vt quod etiã in nouissimis diebus futurũ esset, ostenderet. Tum illi quondã clarissimo syderi, quod superbiæ tenebris obscuratũ, in mundi nascentis exordio, è cœlo in terrã ceciderat; humiq; repebat, data est clauis putei abyssi. Quod diabolo aptissimè conuenit. Quemadmodũ enim Christus habet, suisq; cõmunicat, claues regni cœlorum, atq; in animis piorũ ac fideliũ regnat; ita diabolus habet claues putei abyssi, & regnat in
Ioan. 12. filijs diffidentiæ. Itaq; dicitur princeps tene-
1. Cor. 4. brarũ, princeps huius mundi, Deus huius sæ-
Ephes. 6.
Coloss. 1. culi: quiq; Deo permittente fumum errorum ex abyssi puteo educit, & locustarũ agmina, id est, nouos hæresiarchas cũ exercitibus suis in Ecclesiæ fines, singulis propè sæculis mittit. Qui ergo superioribus sæculis perniciosum variarum hæresum fumũ ex illo abyssi puteo eduxerat; patrũ memoria Lutherũ omniũ huius sæculi hæreticorũ parentẽ & antesignanũ, ex monacho sæcularẽ, ex cœlibe coniugatum, ex paupere diuitẽ factũ, quẽ locustarũ agmina sequerentur, immisit: per eumq; infinitos errores maiore ex parte damnatos ac sepultos, ab inferis excitauit. Exinde tãtus ex illo abyssi puteo fumus erupit: vt magnam Germaniæ, Galliæ, Angliæ partem, quæ præclaræ amplæq; prouinciæ ante Lutherum vnius religionis ac fidei luce fulgebant, cœca innumerabiliũ errorum, sectarũ, schismatum caligo fuscauerit,

adeo(q; obſcurauerit, vt in ijs regnis atq; prouincijs omnia denſiſsimis tenebris inuoluta eſſe videantur. Quis iam inter tot hæreſum fumos, in Germania alterũ agnoſcit? Quis in Gallia, candidũ illud fidei lumen Cimmerijs Caluiniani erroris tenebris, tetroq; magiæ fumo, obſcuratum eſſe non doleat? De Anglia quid dicam? In qua hæreſum tenebras Catholici diutius ferre non poſſunt. Ita fit, vt illorũ magna pars, in alias prouincias, in quarum luce reſpirent, migrare cogatur. E quibus multi Romam illo fumo ex Anglia pulſi, tãquam in portum ſe è naufragio receperunt.

Quid quod ab iſto fumo ſol & aër obſcurati eſſe dicuntur? Solem autẽ luminis fontẽ, Chriſtum aërem, diuinã ſcripturã, per quam in hac vita quodã modo reſpiramus, eſſe, perſpicuũ eſt. Illum iuſtitiæ ſolẽ, quàm vehementer iſtẽ fumus obſcurauerit, teſtis eſt Trãſſyluania vicinæque regiones ad Aquilonis frigora pertinentes, in quibus Chriſti diuinitas palam negatur. teſtis Galliæ; ſuperioris inferioriſque Germanię magna pars: in qua maximè ad Oceani littora, Anabaptiſtæ apertè, Vbiquiſtæ obſcurius, Chriſti humanitatẽ negãt. Superioribus quidem ſæculis, Gnoſtici, Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi, alijque huiuſcemodi hæretici minime defuerunt. Sed nulli impudentius aut loquuntur aut ſentiunt, quàm hæretici ſæculi noſtri. E quibus multi Chriſtum non modõ Deũ negãt eſſe, verũ etiã ignorare, quid agamus, nec à nobis inuocandũ eſſe blaſphemant.

 ſphemant.

ſphemāt. Quis Caluini fumos ac blaſphemiarum genera enumeret? Quis cæterorū? qui cū in ipſum iuſtitiæ ſolē adeò contumelioſi ſint: vt eius lumen multis in regnis atq; prouincijs obſcurauerint: illorū in nos, id eſt, in homunciones conuicia, iure meritoq; contemnimus.

Diuinæ autē ſcripturæ aër, antè purus ac lucidus, quantopere iſtorū fumis obſcuratus ſit, paucis verbis exprimi nō poteſt. Innumerabiles ſunt iſto ſæculo, quo multis in locis, audacia pro ſapientia vti licet, Bibliorum interpretes, qui ſacræ ſcripturæ libros non vertunt, ſed euertunt. Hic vt aliquid ſcire videatur, ad Hebræorum fontes recurrendum eſſe contēdet: quaſi veteres Hieronymus & alij eruditione doctrinaque præſtantes, quorum in diuinis literis conuertendis elaborauit induſtria, minus fideliter verterint. Ille lecta vna aut altera Iſocratis aut Demoſthenis oratione, vulgata editione contemta, nouum inſtrumentū mutandum putans, è Græco nouum aliquid adfert: ſcripturamque repugnantem ſuo errori accommodare conatur. Quid illa Biblia referam in Gallicam aut Germanicam linguam non verſa, ſed euerſa, in quibus hæretica fide, correcta ſunt multa, detruncata plæraque, libri etiam integri, aut ſublati, aut loco moti? Sed iſtorum commentaria fortè aliquid lucis adferunt. Imò verò cùm hæretici faciant, næ intelligendo, vt nihil intelligant: dum inter ſe pugnant atque contendunt, illud vnum altercando conſecuti ſunt, vt luce veritatis amiſſa,

ſcriptu-

ſcripturæ aere quondam clariſsimo, nihil hoc tempore videatur obſcurius. Exempli cauſa aliquid ponam, vt res fiat illuſtrior. Quid ea Apoſtoli Pauli ſententia clarius? De virginibus præceptum Domini non habeo, cõſilium autem do. Attamen omnes hæretici ſæculi noſtri conſtanter negãt, vllum amplectẽdæ virginitatis eſſe conſilium: Apoſtolumq; Paulum eo loco non amplectendæ virginitatis dare conſiliũ, ſed ab ea potius homines deterrere voluiſſe, pronunciãt. Quid planius & apertius poteſt dici, quã illud Domini verbũ: Hoc eſt corpus meũ? Et tamen hoc vno nihil in Germania, Gallia, Anglia videtur obſcurius. Ioannis Euangeliũ maximè aduerſus Ebionem & Cherintũ hæreticos, qui Chriſti diuinitatem negabãt, ſcriptum eſſe, perſpicuũ eſt. At Trãſſyluani illud Euãgelium ita ſuis commentarijs peruerterunt, vt ex eo, Chriſtum non eſſe Deũ, probare conentur. Tanti ſunt hoc ſæculo in plæriſque regnis atque prouincijs hæreſum fumi: tantum ab iſtis obſcurata ſunt omnia, vt veritatis luce ſublata, nihil aliud, niſi denſiſſimæ tenebræ, relictum eſſe videatur. 1. Cor. 7.

Veniamus ad illas locuſtas, quas ex abyſsi puteo, illoq; fumo erumpentes, diuinus ſermo commemorat. Quas hæretici ſæculi noſtri, ad Epiſcopos, clericos, monachos trahere, illiſque accommodare conãtur. At aqua hærent, vt dicitur. Multis enim abhinc ſæculis illi in Chriſtiana Eccleſia fuerunt, cùm admirabiles iſtæ locuſtę nondum exortæ eſſent. Aptiſsimè autẽ

omnia, quæ de locustis dicta sunt: Lutheri sectatoribus discipulisque conueniunt. In primis enim locustæ, non paucæ, quemadmodũ Episcopi, clerici, monachi pauci sunt: sed turmatim multæque simul venire consueuerunt.
Prouer. 30 Regẽ locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas. Ita Lutherani, qui negant, vnũ totius Ecclesiæ caput esse debere, caput vnum propriè non habent: attamẽ breuissimo tempore in ingentem multitudinem numerumq; creuerunt. Nec id sanè mirũ. Omnibus enim vicijs ianuã cùm Lutherus horum locustarũ antesignanus patefecisset, confestim ad eum hinc ebriosi, helluones, ventris animalia vndiq; accucurrerunt: propterea quod apud istos nulla sunt stata ieiunia. inde incõtinentes, venerisq; mancipia certatim aduolauerũt, quod apud istos omnia continentiæ vota sublata sunt, & monachis, sacerdotibus, monialibus quibuscunque matrimonia conceduntur. Illinc apostatæ omnes accurrũt. Inde principes auari ac ambitiosi, quod non solùm Ecclesiastica bona, verùm etiam ipsi cuiuscunq; ordinis homines eorum potestati subijciuntur, ad Lutheri castra cõfugiunt. Inde pigri ac bonorum operum hostes aduolant, quod apud istos fides sola sufficiat. Proinde bona opera nõ esse homini necessaria. Quid opus est multis? Omnes improbi, decoctores, fures, libidinosi, scelesti, ad ista præclara Lutheri castra concurrunt. Quę cũ ita sint, quid mirũ, si paucis mensibus ita hæreticorum augetur exercitus: vt in

quibusdam

quibusdam regnis atq; prouincijs, omnia ista-rũ locustarũ nubibus tecta esse videantur? Sed bene habet, quod illæ copiæ, quæ adeò celeriter creuerãt, citò desinũt: imò vt Cadmæi fratres mutuis vulneribus sese conficiunt. Hinc enim in Lutheranos Caluinus armatur: inde in Anabaptistas vtriq; impetum faciunt. Illic Brentius & Illyricus, cæterique istorum duces castra fixerunt. Qui omnes ex illo putei fumo prodeuntes, cùm inter se magna contentione dissideant: in eo certe conueniunt, quod hinc sole iustitiæ, inde scripturæ aëre quondã perlucidó, hæresum tenebris obscurato, veritatis domicilium maximo studio abscondere, omneque hominum genus in varios errores præcipitare conantur.

Sed huius exercitus mirabilem apparatum speciemque videamus. In primis igitur hæ locustæ faciem humanam, capillos muliebres, caudam scorpionũ, dentes leonum, pectus lorica ferrea armatũ habere dicuntur. Quis vnquam huiuscemodi monstra vidit? Centauros, sirenas, vlulas, & onocrotalos Esaias Propheta commemorat. Cerberum & Stymphalidas, aprumq; Erymanthium, Nemæum leonẽ, chimæram ac hidrã multorum capitum narrant fabulæ Poëtarũ. Cacum describit Vergilius, triformẽ Geryonẽ alij prodiderunt. Sed ab his locustis omnia omniũ sęculorũ monstra superantur. Nunquam ab Ecclesiæ nascentis exordio hęretici defuerũt. Sed huiuscemodi monstrum describit hoc loco sermo diuinus, quale

neque

neq; dictum, neq; fictum, neq; pictum vnquã fuit. Quid igitur ſibi vult illa hominis facies, niſi admirabilem humanitatis ſpeciem, quam hæretici ſæculi noſtri omnibus in rebus præ ſe ferunt? Neq; enim initio illos dentes leonis oſtendunt. Nihil toruum. nihil quod timendũ eſſe videatur: ſed omnia blanda, humana, dulcia. Hic illorum primus eſt aſtus, prima calliditas, vt ſe manſuetos, blandos, affabiles præbeant, ſeq́; hac mãſuetudinis ſpecie inſinuent. Proinde ſi ad populum habenda eſt concio: in orationis exordio, ſe nihil aliud niſi puriſsimũ Dei verbum allaturos eſſe promittunt. Ita facillimè rudem plebẽ, ac ſimpliciores quoſque pelliciunt. Quanta eſt illa humanitas, ac vt iſti Græci dicunt, φιλανθρωπία, quod nuper iſtæ locuſtæ quoddã ſalutis ac vitæ cõpendiũ excogitarunt: illaq́ue dura pœnitentiæ opera, ieiunia, cilicia, exomologeſes aliaq́ue huiuſcemodi è medio ſubmouentes, in cœlum per ſolam fidem abſq; bonis operibus perueniri poſſe docuerunt? Illud ſalutare compendium ignorauit antiquitas. Si quid negocij eſt, maximè cum aliquo principe, mira verborum blãdimenta cognoſces. Ita patrum memoria Saxoniæ dux Fridericus à Luthero facile captus eſt. Ita in Gallia multi, in inferiore Germania nuper Auraicus alijq́; complures, illa humanitatis ſpecie, verborumq́; lenocinio circũuenti, in hoſtium Eccleſię caſtra, relicto Chriſtianorum exercitu tranſierunt.

Veteres hæretici vt lucroſius erroris ſui venena

nena diffunderent, fœminarum maximeque nobilium, quæ pecunijs abundarent, auxilia quæſierũt. Quæ cùm mirum in modũ auribus pruriant, ignorãtes quid audiant, quid loquantur: vetuſtiſsimũ cœnum, quaſi nouã temperaturã facile ſuſcipiunt. Sic in Eccleſiæ naſcẽtis exordio, Simon Magus, Helenæ meretricis ac pecunioſæ fretus auxilio, hæreſim cõdidit. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros fœmineos circunduxit. Marcion Romã præmiſit mulierem, quæ decipiẽdos ſibi virorũ animos præpararet. Apelles non pictor ſed hæreticus, Philumenen ſuarũ comitem habuit doctrinarum. Arius quondã fax orbis, vt oriẽtem occidentemq; deciperet: ſororem principis antè decepit. Ita patrũ memoria Caluiniſtæ, regis Francorũ ſororem, vt eius patrocinio ſecura eſſet impietas: varijs artibus doliſque ceperunt. Huic ex more, omni artificio blandiebantur. hanc miris laudibus euehebant. huius eloquentiam atq; doctrinam, editis libris in cœlum ferebant. hanc Margaritam omnibus gemmis anteponendam. ab hac omnes carbunculos ſapphiroſque vinci. hanc vnicè fulgere clamabant. Hic iuuenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes Fœmineas, ac facta ferant. Quibus artibus ac dolis id conſecuti ſunt, vt per eam paulatim Gallicanæ nobilitatis magna pars capta, lucifugas veritatis ſponte ſequeretur, relictoq; ſuorũ regũ exercitu, in hoſtiũ Eccleſiæ caſtra tranſiret. Natura comparatũ eſt, vt quæ vulgò laudan-

laudātur, ea laudabilia cunctisq́; amplectenda esse videantur. Ita fit, vt pessima quæque, dum honestissima putantur, improbitas æmuletur. Tantus est hæreticorū astus, tanta calliditas.

Diximus de facie hominis, id est, de illa humanitatis specie, qua locustæ cūctis hominibus ore virgineo blandiuntur. Veniamus ad illos capillos, quæ inter mulierū ornamenta numerantur. Sed apud hæreticos fucata sunt omnia. Quemadmodū enim Fœmina [canitiē] germanis inficit herbis. Et melior ve[ro], quæritur arte color. Fœmina procedit densissima crinibus emptis. Proque suis alios efficit ære suos. Itē hę locustæ, quibus nihil fœdius, nihil fœtidius, fœmineis capillis, ementitoque decore solicitant. Proinde nonnullos, quos illa facies hominis, illa humanitatis species, ac verborum blandimenta non ceperant; isti mulierum capilli, lenocinio quodam illectos, tanquā meretricum arte ceperūt. Magna in hoc efficacia, magna vis est, presertim in hac fragilitate corporea, tantoq́; libidinis æstuantis ardore. Itaque non Aetnęi ignes, non Vulcania tellus, nō Vesænus & Olympus tātis ardoribus æstuant: vt iuuenum medullæ, quos hæretici in primis, omni arte lenocinioque venantur, vino plenæ & dapibus inflammatæ. Grandis ergo virtutis est, solicitæque vigilantiæ, quod natus sis vincere, tecum pugnare quotidie, & inclusum imò domesticū hostem, Argi vt est in fabulis, centum oculis obseruare. Scitū est illud quod a quodam Philosopho dictū est: Amor formæ,

rationis obliuio est, & insaniæ proximus. fœdum minimeq; conueniens animo sospiti vicium. Turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit: nec aliud, nisi quod animus patitur, sinit cogitare. Memoriæ proditum est, Decio & Valeriano persequentibus Christianos, quẽdam è nostris iuuenili ætate florentẽ, qui equuleos laminasq; antè vicisset, in amœnissimos hortos iussum abduci, ibique inter candentia lilia rubentesque rosas, cùm leni iuxta murmure, aquarum riuulus serperet, ac molli sibilo arborum folia ventus perstringeret, super extructum plumis lectum resupinari iussum: & ne se inde posset excutere, blãdis serici nexibus irretitum relinqui. Cumque omnes recessissent: ad eum meretricem quandam speciosam venisse, ac delicatis strinxisse colla complexibus, vt iuuenem in ardorem libidinis prouocaret. Quid ageret miles Christi, quo se verteret, nesciebat. Quẽ enim antè quæstionatũ ac tortũ; ferrei pectines laminęq; non vicerant, eum superabat voluptas. Tandẽ is diuinitus inspiratus, præcisam morsu linguã in osculãtis se faciẽ expuit; ac sic libidinis titillationẽ ac sensũm, doloris magnitudo superauit. O fortẽ animũ, vereq; generosum!

At nõ omnium sed paucissimorũ eam esse virtutem istæ locustæ sciunt. Proinde multos iuuenes illis mulierum capillis, solitoque lenocinio capiunt, ac in sua castra perductos, nostros transfugas, sui exercitus manipularios

velitesq;

velitesque constituunt. Ita Ecclesiastici quidam, monachiq; nonnulli Iudæ similes, dum ab hæreticis audiunt, continentiam esse peccatum, libenter sequuntur vicia non virtutes, Epicurum non Christum. Nec mirũ est. Nam quod illi hæreticorum sententijs acquiescunt, indicium voluptatis est. Non enim tã eos loquentes probant, quàm suis fauent vicijs. Itaque illorum subulci, pastoribus nostris, plærisque in locis ditiores videntur: & hirci plurimas secum capras trahunt. Equi insanientes in fœminas facti sunt: statim vt mulieres viderint, adhinniunt, & impatientiam suam ardoremq; libidinis, prô nefas, scripturarum solantur exemplis. Ipsæ quoq; mulierculę illorũ miserabiles, magistrorum suorum verba cantantes: Nónne Dei verbũ est, inquiunt; Crescite & multiplicamini & replete terrã? An homini potius, quàm Deo obtemperandum est? Itaq; non solũ pudicitiam, verùm etiã omnem verecundiam perdiderunt, maioriq; procacitate defendunt libidinem, quàm exercent.

Venio ad illos leonũ dentes, quos istæ locustæ habere dicuntur, quibus hæretici varie vti solent. Nam cùm temporis causa, adhuc sæuire non possunt: interea bonorũ aluntur infamia, loquacitatemque facundiam, & maledicere omnibus, bonæ conscientiæ signum arbitrantur. Itaque omnes obtrectationibus lacerant, vt de ijs quodã modo crescãt. Antiquos rodũt, vt ijs doctiores ac meliores esse videantur: neotericos maximeque scholasticos nostros,

vt quorum eruditionem atq; doctrinam asse-
qui nequeunt,eorum infantiam, vt loquūtur,
ac dicendi genus irrideāt. Ornari res ipsa ne-
gat,contenta doceri. Huius facundiam in cœ-
lum ferunt,vt fidem in cœnam deprimāt. Il-
lum adducto supercilio,sumtaq; censoria vir-
gula, quia in suæ factionis homines scripsit, è
doctorum senatu mouendum putant. Qua-
draginta abhinc annis Stanislaus Hosius, ho-
mo genere nobilis,sed virtute doctrinaq; no-
bilior, qui postea factus est Cardinalis,in istas
locustas ita latinè diserteque scripsit: vt vete-
res, qui hæreticos oppugnarunt, vel æquare,
vel superare videatur. Hunc aduersarij,Romę
nescio quid ambire dixerunt. Eum secutus
Fridericus Staphylus in Bauaria illustris ac
diues,& quondam in adolescentia, ipsius Lu-
theri discipulus & auditor,sed post errore da-
mnato, ad meliora conuersus, in suis libris,
quos in Smidelinum aliosque hæreticos edi-
dit,omnem vicit elegantiam. Erat enim phi-
losophiæ omniumque disciplinarum peritis-
simus:in rhetoricis autem ita excellebat,vt his
ætatem dedicasse, quodam modo videretur.
Huius argumentādi genus subtile,neruosum,
adeoque efficax fuit,vt eum antagonistæ, pri-
mùm vario calumniarum genere fatigarint,
deinde scripta illius supprimenda curauerint.
Ioachimus Perionius Cormœriacenus in na-
scentem Caluinum topica scripsit, aliaque nō
pauca præclari ingenij monimēta edidit. Hūc
aduersarij nimis Ciceronianum esse dicebant:

illudque conuicium contra suum morem arbitrabantur. Petrus Fontidonius, qui Tridentino concilio, à Toletano Archiepiscopo missus interfuit; si in hæreticorũ castris militasset, ab ijs Cicero diceretur: sed quoniam hæresim oppugnat, eum pecunia captum aduersarij criminantur. Edmundus Campianus flumen eloquentiæ Tullianæ nuper vno libello eoque breui hæreticorum insidias detegẽs, ita decem argumenti generibus nostra cõfirmat: vt Angli ministri eius ardorem artificiumque ferre non possent. Proinde illum hostem patriæ iudicandum occidendumq; curarunt. Sed quoniam hi multa hæreticorum argumenta soluerunt, non omnia refutarunt: veniamus ad Bellarminum Politianum, nostri sæculi lumẽ, qui vnus omnes eorũ fumos, ita suæ diligentiæ fulgore discusit: vt nihil quod in illos dicendum sit, superesse videatur. Attamen huic aquilæ scarabæi minãtur: in eumq; se scripturos esse dicunt. Quorũ declamatiunculæ si in lucẽ exierint, mirabimur nõ verba sed fulmina. Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Sed hæretici suo more, forte fingunt monstra, quæ vincant. Ita illi cùm sæuire non possunt,

At quoties ij, maximè Caluinistæ mordere potuerunt, quemadmodũ nuper in Gallia, inferiorique Germania experti sumus, omnes Phalaridas, Dionysios, Nerones, Decios, Maximianos crudelitate sæuitiaq; vicerũt. Mentior, si nõ ea superioribus annis in vtraq; prouincia, Calchãte ministro duce geri vidimus: quæ

anna-

annalium fidei commendata, ob sui magnitudinẽ posteri ficta nõ facta fuisse arbitrabũtur. Excogitata sunt ab istis, qui se Euangelicos dici volũt, noua & inaudita sæuitiæ genera: quibus ij nõ modò Phalarim aliosq; huiuscemodi tyrãnos, verùm etiã feras omnes ac belluas, dum aspis à vipera venenũ mutuatur, immanitate vicerunt. Sacerdotes ac alij diuino numini consecrati, crudelissimè occisi: quorum plæriq; vt impias istorũ manus carnificinamque vitarent, in syluas auiamq; solitudinẽ fugerant, atque in ipsis ferarum cubilibus delitescebant. Sed eos ita latentes inuenit inuidia. Nam venationis specie, primùm à canibus deprehensi, deinde à latronibus capti: ex illisque ferarum antris in oppida retracti: hi effossis oculis, illi auribus, alij naribus & genitalibus inhonesto vulnere amputatis , contumeliæ spectaculum facti, latronibus fuére ludibrio. Quidam stantes erectoque corpore, ita viui defossi sunt, vt solum caput extaret, vt diutius viuerent, imò ne citò morerentur: in quod certo ludi genere, quod apud Gallos à palma nomen accepit, prædones Ministrorum iussu saxa iaciebant: vt inter circũstantium risus, cachinnosque latronum, miseri homines lapidibus contusi, laceratique morerentur. Quid ad hanc sæuitiam addi potest: cui innocentiũ funera ludus, iocus vulnera, mors ipsa ludibriũ est? Quis cætera impietatis ac sæuitiæ genera sine lachrymis referat? Multi nostrorum hominũ, propterea quod Catholici erant: illorũ

in equis ſedentiũ calcaria oſculari coacti ſunt, propoſita impunitate, ſi ſe ad impiorum pedes oſculandos abijcerent. Quod ſimulatque feciſſent: hi calcibus eliſi: illi calcaribus ora lacerati, teterrimis beſtijs ita fuêre ludibrio, vt inter ſedentium imò cædentium pedes crudeliſsimè necarētur: Alij equitum iniuria obtriti nobiles animas inter equorum crura fundebant. Illi carnifices pernicibus equis huc illucq; volitantes, cædis ac terroris cuncta complebant. Inſperati vbique aderant, & famam celeritate vincentes, non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebāt, non vagientis miſerebantur infantiæ. Ardebant oculi, ipſaque ſupercilia toruum neſcio quid minabantur: totoque ex ore crudelitas eminebat. Catholicorum paruuli filij neſcientes malum ſuum, inter ſæuiſsimorum latronum manus ac tela ridebant. Quot Sacerdotes & monachi (in hos enim maximè ſęuiebatur) manuale tormentū, quod à quibūſdam ſclopetum dicitur, inflare compulſi: illud humilitatis obſequium, ſibi ſaluti fore confiſi: diſploſo tormento lætiferaque glande ore ſuſcepta, mortem hauſerunt: humumque quam texerant, cerebri ſanguiniſque ſui miſti effuſione fœdarunt? Quis vnquã Turca? quis Scytha? quis barbarus hæc ſæuitiæ genera non exhorruit? Pauca ex multis obiter attigi: nam ſi reliqua exponere conaretur oratio, non mihi ſi linguæ centum ſint oraq; centum, ferrea vox, omnes noſtrorum dicere pœnas: Omnia cæſorum percurrere nomina poſſim.

sim. Illa igitur paucis abhinc annis in Gallia inferiorią; Germania geri vidimus, quæ omnem tragediam, crudelitate, perfidia, immanitate vicerunt.

Sed hæc in homines, quos isti improbos esse dicebant, excogitata, fortasse leuiora videantur. Quid in mortuos? Neq; enim solùm in viuos, sed etiam in mortuos ac sepultos sæuiebat impietas. Multorum etiam Principum effossa corpora, primò pedibus tracta, deinde incendio concremata sunt. Aliorum è mausoleis extracta corpora, paulò antè sepulta, canibus ac feris dilanianda, obiecta sunt: & quod omnes barbari horrere solent, ab istis nefariè perpetratum est. Ita ius sepulturæ, quod etiam Ethnici sacrosanctum esse dicebãt: ab istis locustis impiè nefarieq; violatum est. Illa prætereo, quod religionis specie, sed certiore sacrilegio, Ecclesiarum Basilicæ, aliaq; loca Deo à maioribus consecrata, ab istis, quibus sacrilegium ludus est: ex more direpta, incensa, euersa sunt: & quoniam palma viciorum est, honesta polluere, sacrosancta mysteria nefariè prophanata, quodq; dictu fœdum est, impiorum pedibus conculcata, Christianus orbis ingemuit. O manus impiæ, ô truces oculi: non caligastis? neque mundi lumen obscurare conati, meritas ipsi tenebras imbibistis? At dum hæc sacrilegia committuntur, isti præclari ministri, quorũ impijs nefarijsq; consilijs omnia gerebantur: ne quid malorum deesset, in suis concionibus Euangelij præcepta cantabant.

Quid quod martyrum Christi aliorumq́; Diuorum sacræ reliquiæ,ad quas religionis ergò peregrini quondã ex toto, vt ita dixerim, orbe currebant,mausolæis erutæ, primùm ignibus traditæ,deinde sacri cineres in profluentẽ abiecti? Apud Lugdunum nobilissimi martyris Hirenei, quem vicinũ Apostolicorũ temporũ, magni illius Polycarpi cõstat fuisse discipulũ, ossa incẽdio cõcremata Rhodani vortices absumserunt:& quem Ecclesiastica miratur historia, in cœlumq́; magnis laudibus vexit antiquitas, hunc à sacrilegis abiectũ,rapidissimũ flumen abscõdit. Adeò nostra memoria sæculiq́; fine iam proximo creuit impietas, vt ei nihil addi posse videatur. Longum esset, referre tragœdias,quæ in eodem impietatis ac sacrilegij genere, Pictaui, Aureliæ, Gandaui, Antuerpiæ, multisq́; alijs in locis acciderunt. Proinde multa prætereã necesse est. Illud vnũ parricidij genus, cum insigni perfidia sacrilegioq́; coniunctũ,quod in Galliæ parentẽ toto terrarũ orbe celeberrimum admisit impietas, præterire non possum. Apud Turones sacras diui Martini,cuius tutelã Gallia multis sęculis sibi saluberrimã experta est:istarũ locustarum religiosa opera reliquias vorax flamma consumsit: ipsiq́; cineres in profluentem Ligerim abiecti fuerunt,certo vaticinio futurorum: vt Gallia quæ paucorum furoribus non resistẽs, impias manus in parentem,vt ita dixerim,iniecerat,non dubitaret,se breui esse perituram. Quod à nõnullis summis ac eruditis viris tum intel-

intellectũ ac memoriæ proditum, haud multis post annis, rei demonstrauit euentus.

Quid igitur in tantis facinoribus antè deplorem? aut quibus verbis tantum nefas conquerar? Vellem Amplißime Card. si fieri posset, istos leonis dentes adumbrare dicẽdo: sed quoniam intelligo, quàm parum in me sit facultatis & copiæ, pingui Minerua, vt dicitur, rem ipsam ante oculos ponã. Fregerunt sacras imagines noui isti Iconoclastæ. Stulte, ne dicam, impie: sed tamen leuius est, inquiũt, propterea quod huiuscemodi imagines restitui possunt. Spoliatæ sunt ædes sacrę, multaq́; anathemata & ornamenta Deo à maioribus dedicata, sacrilegorũ manibus ablata sunt. Sed Calchantis vxores seminudæ quidẽ, sed maritorũ honoribus tumidæ, vestimenta desiderabant: ipsaq́; Candida, fœmineo prædæ ac spoliorum ardebat amore. Adhęc multa sunt, inquiẽt, matronarũ vsibus necessaria, pręciosę vestes, aurũ, gẽmæ, sumptus, ancillæ & supellex varia. Quæ omnia vnde habeas, quærit nẽmo, sed oportet habere. Aurei calices, aliaq́; argentea vasa direpta: sed cùm Ministri egeãt, ferendũ videtur. Plæriq; sanctißimi & ornatißimi viri indicta causa crudelißimè occisi: sed in nos, aiũt, sæpe latrauerant. Ita impietatem illam, sæuaque facinora nonnulli excusare conantur. Quid autem hic ad eleuanda grauißima scelera, quibus non in homines, sed in Deum: non solũ in viuos, sed etiã in mortuos: non in quoscunque mortuos, sed in diuos, in martyres cũ Christo

iam viuentes ac beatos, impietas sæuiebat, excogitari potest? quid adferri: quod adeò nefaria facinora, aliquantulum eleuare videatur? Amant animæ, inquit Theodosius Aug. sedem corporum relictorum, & nescio qua sorte rationis occultæ, sepulchri honore lætâtur. Quid ego iam leges in sepulchrorum violatores, nô solùm à Christianis, sed etiam à paganis principibus latas in medium proferam? Quæ si locum habuissent in Gallia inferiorique Germania: si tâta crimina non aluisset impunitas: minus esset, quod iam vindicaret diuina censura. Sed quoniam Dei beneficio amplius ista non fiunt, lenius agam, meque reuocabo.

Aduersus eos, qui tribus primis fidei sæculis, Dei templum euertere conati, in Christianos omni suppliciorum genere sæuiebât, multi nostrorum Græci & Latini scripsere diuinitus. E quibus noster Lactantius in Diocletianum ac socios agens: Quis, inquit, Caucasus, quæ India, quæ Hircania tam immanes, tam sanguinarias vnquam bestias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies vsque ad ventris satietatem furit, fameque sedata, protinus conquiescit. Illa est vera bestia, cuius vnica iussione funditur ater vbique cruor, crudelis vbique luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago. Nemo huius tâtæ beluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ vno loco recubans, per totum orbem ferreis dentibus sæuit, & non tantùm artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit,

ne quis extet ſepulturæ locus. Quęnam illa feritas, quæ rabies, quæ inſania eſt, lucem viuis, terram mortuis denegaſſe? Hæc habuit vir diſertiſsimus, ac flumen eloquentiæ Tullianæ, quæ in illum impium Cæſarem, Deique apertiſsimum hoſtem diceret. Atqui ſi Diocletiani crudelitatem cum iſtorum, qui ſcilicet Chriſtiani haberi volunt, amentia, immanitate, ſæuitia conferamus; non illum impiũ, ſed pium: non beſtiam, ſed hominem: non immitem, ſed mitem fuiſſe exiſtimabimus. Ille in noſtros ferreis dentibus ſæuiens artus hominum diſſipabat: iſti homines viuos ita defodiebant, vt ſolum caput extaret, quod ludi ſpecie, crebra ſaxorum iactatione contunderent. Ille in paucorum cineres furere ſolitus eſt, ne quis extaret ſepulturę locus: iſti ſepultos multis ſæculis, non ſolùm regum ac principũ, ſed etiam martyrum cineres effoderunt, ac incendio concrematos, in Ligerim ac Rhodanũ abiecerunt. Cæterùm quis vnquã Diocletianus, quis Maximianus ſacrum Chriſti corpus inſanis pedibus conculcauit? Palma quidem viciorũ eſt, honeſta polluere: at quis illarum beſtiarum vnquam Eccleſiæ Sacramenta ita contaminauit ac polluit: vt & calceamenta ſancto Chriſmatis oleo liniret, & baptiſterium, quod dictu quoque fœdum eſt, excrementi ſui ſorde fœdaret? Quis Nero in mortuos ac ſepultos, inaudito crudelitatis inſaniæq; genere ſæuiendum putauit? Quis cineres multis non ſolùm annis, ſed etiam ſæculis antè, mauſolæo incluſos, in

ignē aut profluentē cōijciēdos existimauit? Et quisquā istos Christianos dicet, qui Turcas oēs immanesq; illas bestias, non semel, sed sæpius, immanitate sæuitiaq; vicerūt? Quæ cū ita sint, nihilq; ad hāc impietatē atq; sęuitiā addi posse videatur: finē faciā, necesse est. Vincitur enim oratio rei magnitudine, & in tātis facinoribus describendis, minus est omne quod dicitur.

Proinde illa mordacitatis genera omitto, vnū tamen est, quod à paucis obseruatum, hoc
Prouer. 30 loco præterire non debeo. Leo quidē fortissimus bestiarū, ad nullius pauebit occursum: attamē nō solū viribus fidit, sed etiā arte pugnat
Psalm. 9. & insidijs vti solet. Insidiatur, ait Propheta, quasi leo in spelunca sua: insidiatur, vt rapiat pauperē, rapere pauperē, dum attrahit eum. Ita hæretici sæculi nostri, quos nec illis lenocinijs atque blāditijs, in suam sententiā perduci: nec sirenarum cātibus ad Catholicæ Religionis ac fidei facienda naufragia impelli, nec illis leonum dentibus, omniq; suppliciorū genere, de munitissima Christianæ virtutis arce deduci posse intelligunt: hos aggrediuntur insidijs, & nouo stratagematis genere, mutata belli tesserā, imò assumto nostro symbolo, vt in nostris castris sine periculo versari possint, se nostros cōmilitones, id est, Catholicos esse fingūt. Dolus an virtus, quis in hoste requirat? Si nō sufficit, inquiunt, leonis exuuium, adde vulpinū. Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm hæ quæ latēt in simulatione virtutis, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum qui se profite-

tur

tur inimicū,facilè cauendo vitare potes. Neq; Troianus equus fefelliſſet, niſi Mineruæ formā mentitus, diuinū neſcio quid promiſiſſet. Proinde iſtud Politicorum genus, qui noſtra religione mentita, in eadem Eccleſiæ naui,ſe nobiſcū eſſe dicunt; diuinæ cuiuſdā felicitatis eſt,non in amicis habere, ſed eorū dolos inſidiaſq; cognoſcere.Fefellit illa larua quàm plurimos: quibus hinc Auſtriacæ domus ſuſpecta eſt magnitudo:inde Catholici regis inuiſa felicitas. Sed neq; Romanā fidem Apoſtoli voce laudatā,adulterari fallente mendacio: neq; Catholicū regem, à ſe iſtæ vulpeculæ, aut virtute armiſq; ſuperari, aut dolis circumueniri poſſe confidāt. Nihil fucatum poteſt eſſe diuturnum:neq; mendacia diu fallunt.Tādiu nox eſt,donec illuceſcat dies.Sole autē exorto,cōfeſtim & diei nox,& luci tenebræ cedunt. Ita veritatē premi poſſe,opprimi nō poſſe, perſpicuū eſt.Multorum,ait Seneca,quæ imbecillia ſunt,vicia latent, propterea quod ijs explicandæ nequitiæ inſtrumenta deſunt.Ita ſerpēs etiam peſtifera dum riget frigore,tuto tractatur. Non deſunt illi venena,ſed torpent. Tigres & leones feritatem nunquam exuunt aut deponunt. Aliquādo ad tempus forte ſubmittunt: ſed cùm minime expectaueris,nihilque periculi eſſe credideris, illa crudelitas, quam antè mitigatam putabas, ſubitò exaſperatur. Denique malus,vbi ſe bonum ſimulat, tunc eſt peſsimus. Quæ cùm ita ſint, quid ſibi vult iſta religionis ſimulatio? Quid formidoloſa

calli-

calliditas? Cæteræ hæreticorum peſtes, quod ſentiunt,aperta fronte pronunciant. Ne ipſi quidem Turcæ noſtra templa ingrediuntur, vt ſacris interſint: neque religionem aliquam ſimulare nouerunt. Soli Caluiniſtæ,vbi commodum eſt,ſe Catholicos eſſe fingunt:totamque religionem pro ludo habentes, ſimiarum inſtar imitantur.

Diximus de leonis dentibus, quibus iſtæ locuſtæ omne hominum genus variè mordere conſueuerunt.Sequitur vt de illorum ventre dicamus, forte ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς; ſed in deſcribendis huiuſcemodi monſtris, quis ordo ſeruari poteſt? Igitur locuſtæ ſunt ventris animalia, capite exiguo, ore fœdo ſemperque ſanioſo,duobus ad ſaltandum pedibus inſtructa: ſed ita, vt præter ventrem nihil habere videantur. Quid hæreticorum ſæculi noſtri anteſignanus ac patriarcha? Nónne ventri & gulæ deditus,ſemperque rubentibus buccis, à Cochlæo cæteriſque qui eum bene norant, fuiſſe deſcribitur? ſorte pro gentis ingenio, præſtantiaque ceruiſiæ, quam illorum plæriq; omnibus falernis Cretenſibuſque vinis præferre non dubitant. Ipſum Saxoniæ regulum Ioannem Fridericum,à Carolo V. Aug. captũ, ac in Belgiũ adductum,adoleſcentes vidimus: qui nimium obœſus,pinguedine apros omnes boueſque vincebat. Nec diſsimiles illius comites, quæ ventris animalia,in locuſtas ab eorum patriarcha conuerſi, homines eſſe deſierant: nati forſitan,non vt viuerent, ſed vt biberent.

berent. Me pinguem & nitidum, ait noster Horatius, & bene curata cute vise. Cùm ridere voles, Epicuri de grege porcum. Ea ventris animalia, cõtinentiæ ac sobrietatis inimica, cur ad hæreticorum castra, tam facilè transire miremur? Quemadmodũ enim mater fidei continẽtia est: ita perfidiæ mater ebrietas. In quod igitur facinus non ista præcipitat? Illud autem quale est, quod inter istas locustas, quædã est, vt ita dixerim disciplina. Primò enim minoribus poculis, velut velitari pugna prçluditur. Nam vt tragœdiarum actores, primò sensim vocem excitant, donec viuæ vocis aperiãt iter, vt postea magnis clamoribus personare possint: ita isti quoque in principio, prælusorijs poculis se exercent, vt irritent sitim. Vbi incalescere cęperint, poscunt maioribus poculis. Hinc procedente potu longius, magna certamina, quis bibẽdo præcellat. Nota grauis, imò periculum, si quis se excuset, aut vinum forte diluendum putet. Ita omnes inebriantur, victores victique omnes ebrij iacent, & quidem plærique sopiti. Inde pro dispositione mẽbrorum, ordo viciorum. Prius venter extenditur, deinde cætera membra ad libidinẽ concitantur.

At peccatum suum patriarcharum Noë & Loth exemplis tegere ac excusare conantur. Ille, inquiunt, nudus atque ebrius in tabernaculo iacuit: hic etiã ebrietati iunxit incœstum, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. Sed illi semel capti, non disciplinam, vt isti, ex bi-

bacitate

bacitate fecerunt:sed ne in eosdem compedes rursus inciderent, solicitè, ni fallor, prudenterque cauerunt. Ad istarum locustarum ducem & antesignanum redeat oratio Cuius caput exiguum ac sine cerebro,non solùm antagonistæ,verùm etiã discipulorum plæriq; dixerunt.Quid os fœdum ac fœtidum,barbarũ, procax,& ad conuicia semper armatum,illamque blasphemiarum saniem referã, quarum etiã meminisse, pollutio est? Is certè vt alter Ennius, nunquã nisi bene potus ad arma currebat.Inde omnes illius chartæ vinum aut Saxonicam ceruisiam redolent; quæ maiorem, quàm omnia vina, ebrietatem ingenerare cõsueuit.Quid libidinis saltus, monialemque & quondã abbatissam, illius Dionysij bacchãtis vxorem referã? Coniugium vocat,hoc prætexit nomine culpã. Qui cùm hoc sæculo,audacia pro sapientia vti licere sciret: quod postea verbis nouus Antichristi Apostolus & antecursor docturus erat,hoc prius docendum putauit exemplo. Dicturus enim continentiam esse peccatum, omnibusq; etiã in Euangelica lege diuinitus esse præceptũ.Crescite & multiplicamini & replete terrã, id suo confirmauit exemplo. O præclarũ magistrũ publicæ disciplinæ: vt quicquid ipse fecisset,hoc omnes sibi faciendum putarent.

Pectus autem lorica ferrea armatum, quid aliud est,nisi pertinacia & obstinatio,qua istæ locustæ tametsi apertissimè conuincãtur,nunquam tamen cedunt?Itaque nonnunquã mori malunt,

malunt, quàm impiam mutare sententiã. Tanta in ijs animi peruicacia: tam inflexibilis obstinatio est. Superioribus enim annis patrumque memoria, hæc monstra inermia erãt: dum hæretici loquacitatem facundiam, & maledicere omnibus, bonæ conscientiæ signum arbitrarentur. Nunc autem ne quid mali desit, armata sunt, ferro inclusa, loricisque circundata: neque solùm viribus fidunt, sed etiam vti superius ostendimus, arte pugnantia, omne hominum genus, aut vi aut astu circumuenire conantur. Proinde iam non syllogismorum acumina rationumque momenta quæruntur: sed Pellitur è medio sapientia, vi geritur res. Itaque hastis & gladijs quotidiæ dimicatur. Chalcas in arma viros, armis circundatus ipse, Suscitat, ærataſque acies in prælia cogit. Nec toties victi possunt absistere ferro. Pugnas igitur instaurant, nouosque congressus iterum moliuntur, vt vel tædio vincant, dum virtute non possunt. Bipontinos & Casimiros cum ingenti Germanorum exercitu aliquoties in Gallia vidimus: qui Guisiadûm virtute superati armisque exuti, muscarum instar sæpius redeunt. Quid de inferiore Germania dicam? in qua maximè ad Oceani littora, vicinisque insulis, aduersus Catholici regis potentiam, tot annis ita dubio marte pugnatur: vt paucorum hæreticorum, quibus vires nostra peccata suppeditant, peruicacia & studio, victoria nutare videatur. Et vt locustarum examina, quæ cuncta populãtur ac va-

ſtant,iratus Deus mittit:ita hæretici ſuo robore infirmi,noſtris vicijs fortes,ſi Galliæ,ſuperioris inferioriſque Germaniæ, cæterarumq́; prouinciarum, in quas offenſus Deus eos penetrare permiſit,tantum externas opes, aliaq́; huiuſcemodi ornamenta diriperent: ferẽdum quodam modo videretur. At alia longe maiora nobis iſtæ locuſtæ mille nominibus ac artibus auferre conantur. Hinc enim illæ ſcorpionum caudæ, aculeique læthales in iſtarum locuſtarum extremo.

Hoc enim eſt, quod illa cauda ſignificat, quæ arcuato vulnere hæreſum venena diffundit. Ad hunc finem omnia locuſtarum ſtudia, conatus,acta referuntur. Idcirco purum putũ, vt aiunt:Dei verbum videatur. Scorpiones autem facie quidem blãdos, cauda verò læthales, ſeque innoxios ſimulantes, vt mortifero vulnere venena diffundant, vtrum inter vermes, an maiorum animalium genus numerẽt plærique non iniuria dubitant. Nihil in ijs virium: neq; leonibus aut vrſis ſimiles, aut vngulis armantior, aut dentibus. Itaq; cùm neq; vt lepores fugæ fidant: neque vt aues, alarum remigio vti poſsint: facillimè capti,ſoleis obteruntur. Sic hæretici primò Sirenarũ in morem, ore virgineo blandientes: hinc adducto ſupercilio, Dei verbum adulterantes, in extremo tanquam in cauda,læthalia venena circunferunt, ſoloſque incautos arcuato vulnere occidunt. Sed vigiles & attentos, qui eorum verba diligenter expendũt, lædere nequeunt:

ſed

sed ab ijs nullo negotio victi, facilè quibusdam vigilantiæ soleis obteruntur.

At vocem alarum earum, illumq; tumultum ac strepitum, quæ exponet oratio? Iactant istæ locustæ hinc Angliam, Daniam, Galliam, quam non habent: inde Saxoniam cæterasque Germaniæ, in quibus aliquid possunt, Flandriæq; prouincias: suamque Augustanam confeßionē toto terrarum orbe crebrescere mentiuntur. Inde Turcarum, à quibus Catholicos oppugnari sciunt, nomine audaces, Græciam & Hungariam, totamque Dalmatiam ac Bizantium perstrepunt, omniaque sibi Mahumetanorum atque Persarum arma promittunt. Itaque Catholicis omnibus minantur excidium. Sed plærunque à melioribus victi, vanum illū strepitum, ac puerorum terriculamentis similem esse, suo malo discunt. Patrum memoria Saxoniæ & Haßiæ reguli, collecto in Germania maximo hæreticorum exercitu, Ecclesiæ Catholicæ excidium minabantur. Sed ij à Carolo V. Aug. qui ex Italia, inferiorięq; Germania longe minores copias euocauerat, victi: in Belgium capti adducti sunt. Nihil superbia infirmius. nihil animi tumore debilius. Proinde is Catholicus Imperator, clarißima victoria reportata: non vt olim Iulius Cæsar, cùm Pharnacem Ponticum regem primo accessu superasset, ad amicos in Italiam scripsit: Veni, vidi, vici; sed in hanc vocem Deo gratus erupit: Veni, vidi, Deus vicit. Ita ille Deo fidens, diuinitatis iniuriam vindicabat.

Sed ad noſtras locuſtas redeamus, quæ in capitibus ſuis coronas, auri ſimilitudinẽ mentientes habere dicuntur. Cętera metalla, quanquam huic vitæ neceſſaria, auri bonitate precioq́ue ſuperantur. Omnia domat ferrũ. æs ſonorum ac tinnulum, argentum clarum & candicum ſuo pondere valet plurimũ, ſed omni cõparatione vileſcit. Sic artes omnes, humanæ vitæ neceſſariæ, vt fabrica, architectura, cæteræq́; huiuſcemodi, iure meritoq́; plurimi fiũt: medicina verò & oratoria, nihil vtilius: phyſica & mathematicis nihil putatur eſſe iucundius: quarum illa corporum curam, iſta fulgorem eloquentiæ pollicetur. harum prima de rerum natura, altera de orbibus cœlorum ac ſiderum curſu differens, in ſuperna cœleſtiaq́ue conſcendit. Quid Theologia? Nónne his omnibus longè præſtantior, quippe quæ ad omniũ conditorem Deum aſcendit, ac de immortalitate, de gloria ſempiterna, de peccatorũ remiſsione, de gratia cæteriſq́; eò pertinentibus differẽs, aureæ coronæ, quod ſummũ eſt capitis ornamentũ, imaginẽ præfert? Eius ſimilitudinem iſtæ locuſtæ, fallente mendacio blandientes, ſuis capitibus imponunt, dum illotis manibus ac pedibus, in diuinarum literarum adytum irrumpentes, aureum doctrinę genus olim diuinitus traditum, in opinionis humanæ aurichalcũ adulterare conantur. Non illud hic vrgeo, quod alius fortaſſe diceret: nullam artem, ne illas quidem, quarum paulo ante mẽtionem fecimus, ſine magiſtro percipi poſſe.

posse. Agricolæ, cœmentarij, sutores, lignorũq; cæsores, lanarij, fullones & cæteri, qui variam supellectilem, viliaque opuscula fabricantur, discunt antequam doceant: nec absque magistro possunt esse, quod cupiunt. Istarum autẽ locustarum discipuli modò adsit volubilitas linguę, facilitasque verborum, adducto supercilio, diuinam scripturam non solùm in aniles ridiculasque sententias repugnantem trahunt: verùm etiam in hæreticas opiniones Dei verba detorquent. Idq; fit potißimùm inter cyathos & æquales poculorum haustus, vbi hæc ventris animalia incaluêre ceruisia, aut certe vino dijs suis ex more libarunt. fœcundi calices, quem non fecêre disertum? Tum de sacris literis omnes coci, farctores, lanij, cæterique huius farinæ homines argutè philosophantur: tum de theologia rebusque diuinis agunt, vociferantur ac perstrepunt: tum capiti suo coronas illas auri fulgorem similitudine mentientes imponunt, singuliq; se reges potentißimos arbitrantur. Hæc quidem illarum locustarum nubes & gregarij milites. At illarum duces & antesignani, quicquid in buccam venerit, inter illa Rhenensia & Alsatica vina illinunt chartis. Adeò apud hæreticos audacia pro sapientia omnibus vti licet.

Sed apud omnes nationes receptum est, vt qui monetam adulterauerit, morte mulctetur. Atqui constat, argenti monetam, priuatorum contractuum causa inter ciues repertam esse: leges autem monetã esse reipublicæ. Principes

igitur oportebat, multo magis si quis eam quæ Reipublicæ moneta sit, adulteret atque corrompat, eũ odisse & punire; quàm si quis eam quæ sit hominum priuatorum. Multæ enim ciuitates, regna, prouinciæ, argento, quod ære ac plombo temperatum sit, haud dissimulanter vtuntur, attamen incolumes stant & manent, nec vllum ex ea re detrimentũ accipiunt. At qui leges corrompi sinunt, ijsq; adulterinis vtuntur: ad extremum miserè pereunt. Quod si de Solonis aut Lycurgi legibus verum est: quanto magis de lege diuina, que adulterata mendacio, reipublicæ pestem ac ruinam continuò secũ trahit? Testis est oriens, Aegyptus, Africa, multæque aliæ prouinciæ, quas Christiana fide ab hæreticis adulterata, Deiq; lege corrupta: tot tantisque cladibus inuolutas statim fuisse constat: vt eas aut Arabes occuparẽt, nobilissimisque prouincijs captis, tetro latrocinio cuncta vastarent, aut deleto Reipub. nomine legibusq; sublatis, Turcica tyrannis, pro sua libidine, cũcta fœdaret. Quid misera Græcia? Nónne funditus perijt, propterea quod hęreticorum impias voces, potiùs quàm Ecclesiæ Romanæ salutare consilium audiendum putauit? Quid de te dicam miseranda Germania? cuius ea pars, quæ istas locustas accepit, libertatem, quam se inuenturam sperabat, amisit. Ita quondam alij in captiuitatem abducti: Defecit, inquiunt, gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis quia peccauimus.

Thren. 5.

mus. Propterea mœstum factum est in dolore cor nostrum: ideo contenebrati sunt oculi nostri. Quod si malum tuum adhuc forte non sentis, tuumque pectus nescio quæ phrenesis occupauit, aliquando tamen senties: teque vel sero ab istis locustis corrosam esse cognosces.

Quid quod istæ locustæ, equis paratis in prælium similes esse dicuntur? Equis autem non solùm libido ingenita est, verùm etiam fastus ac superbia. Proinde bene pasti, stare loco nesciunt, sed pede cauant terram, naribus spirant, erectisque in altum iubis, pedes in numerum colligunt, crebroque hinnitu, animi in bella promptissimi meditantur ardorem. Ita hæretici sæculi nostri, se omni hominum generi præferre non dubitant. Extat Lutheri liber ad Georgium ducem, in quo is ita scriptum reliquit: A tempore, inquit, Apostolorum nullus doctor aut scriptor, nullus Theologus aut Iurisconsultus, tam insigniter & clare conscientias sæcularium statuum confirmauit, instruxit, ac consolatus est, sicut ego feci. Per singularem Dei gratiam hoc certò scio, quoniam neque Augustinus, neque Ambrosius, qui tamen hac in re optimi sunt, mihi in hoc æquales sunt. Ita istorum antesignanus. Quid Caluinus alijque eius symmystæ? Nónne pluribus locis disertè scribunt, se mille Cyprianos, Ambrosios, Augustinos nihili facere? Quid arrogantius dici potest? At forte reliqui ministri, quos vocant, modestiores sunt.

Imò verò nullus istorũ est, quamuis ἀγράμματος & indoctus, qui non Catholicos omnes pro fungis ac stipitibus habeat. Tanta in omnibus arrogantia, tantus superbiæ tumor est. Quale auté illud est, quod in Gallia inferiorique Germania ab istis calcitronibus equis nuper admissum, Christianus orbis ingemuit? Direptæ & incensæ sunt ædes sacræ, Christiq; mysteria impiè prophanata. Tale quiddam mille trecentis aut circiter abhinc annis, Arianorum molitus est furor: quod futurum cùm biennio antè diuinitus monitus, magnus ille præuidisset Antonius, lachrymas tenere non potuit. Itaq; suis referens: Magno, inquit, fides Catholica turbine subuertetur, & homines iumentis similes, Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini, mulorum & equorũ circundatam multitudine, qui crebris calciũ ictibus omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum, quos audistis. Biennio post sæua Arianorum erupit insania. Tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum: tunc indomitorum equorum furor: tunc impijs ethnicorum manibus ministeria sacra polluta sunt. Non Apostolorũ, inquit, sed demonis, & patris eorum diaboli ista doctrina est: & idcirco per insipientiã iumentorũ, similis pecudum, eorũ expressus est animus. Quid hæretici sæculi nostri: nónne Arianos omnes nuper impietate sæuitiaque vicerunt? Sed quoniam ista superius tetigimus potius, quàm explicauimus, neque enim vllius

Athanas. de gestis Antonii Abbatis.

Demo-

Demosthenis, si adesset, eloquētia satis exprimi possunt: imagini sæculi nostri, locustarum agminibus adumbrati finem imponam. Sed earum regem antè videamus.

Habebant, inquit, super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græce autem Apollyon, Latinè habens nomen exterminans. Istæ hæreticorū locustæ etsi regē visibilem nō habent, inuisibili tamen rege. id est Diabolo carere nō possunt. Ipse enim est rex, super omnes filios superbiæ. Rex autem locustarum dicitur exterminator, propterea quod per nullam vnquā hæresim adeo exterminauit ac deuastauit Ecclesiam, quemadmodum per istā, quæ nostro sæculo per Lutherū eiusq; discipulos ab inferis excitata est. Nam superiorum temporū hæreses vnum aut alterū fidei articulum oppugnabant. At Lutherana hęresis partim per se, partim per suas proles, Anabaptistas, Caluinistas, Trinitarios, Libertinos, omnia Ecclesię ornamenta, ijs in locis, quæ occupare potuit, euertit atque abstulit. Per nouos enim Samosatenos, à Deo abstulit trinitatem, à Christo diuinitatem. Per Anabaptistas illius humanitatem. ab angelis & sanctis omnibus inuocationem & cultum. à purgatorio suffragia viuorum; imò ipsum purgatoriu sustulit. ab Ecclesia quæ adhuc peregrinatur in terris, multos sacræ scripturæ libros, sacramenta fere omnia, traditiones omnes atque ceremonias, sacerdotium, sacrificium, vota, ieiunia, dies festos, templa, altaria, sancto-

Apocal. 9.

Iob 41.

rum reliquias, crucis ſignum, ſacras imagines, denique omnia monimenta pietatis, omnes Eccleſiaſticas leges, omnem diſciplinam ac ordinem prorſus exterminauit atque abſtulit. Quid quod iſtæ locuſtæ, ne inferis quidem pepercerunt, ſed Regi quoque abyſsi feciſſe videntur iniuriam? Multi enim Lutheranorum veros inferos negant, & Origenem ſecuti, pœnam ignis æterni, nihil aliud, niſi internos animi cruciatus eſſe cõtendunt. Quæ cùm ita ſint, meritò hæreſis ſæculi noſtri exterminatrix dici poteſt, eoque duce digna qui Hebraicè *abaddon*, Græcè ἀπολλύων, Latinè exterminans nominatur. Tantum igitur exterminium Catholici iure mirantur. At hæretici nimirum illo fumo cœcati, tantum malum videre non poſſunt.

Sed inter hos hæreſum turbines multorumque naufragia, vnus eſt portus, qui fluctuantes piorum animos mirificè cõſolatur: quod iſtis locuſtis dicitur præceptum eſſe diuinitus: ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: niſi tantùm homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis. Olim enim locuſtæ ad Moſis, cui cœlum, terra, maria ſeruiebant, imperium, in Aegypto non ſolùm vniuerſa vaſtarunt: ſed etiam deuorata herba, nihil omnino virens in lignis & in herbis terræ, in ampliſsima prouincia reliquerunt. Quid eſt igitur, quod iſtarum locuſtarum ita natura reprimitur, vt nihil viride, neque vllam arborem lædere au-

Exod. 10

deant: cùm ijs natura insitum sit, vt viridia quæque depascantur ac vastent? Sed mystica sunt omnia, quæ dicuntur. Itaque vt illæ locustæ nihil viride, nec vllam arborem fructibus exuberantem lædunt, sed tantùm infructuosa quæque corrodunt: sic hæretici sæculi nostri, ventris animalia, Venerisque mancipia, non bonos, non Dei seruos, non salutis suæ memores de Ecclesia rapiunt: sed sui similes, improbos, sceleratos, qui etiamsi in Ecclesia permanerent, nihilominus ob impium vitæ genus perirent, in errorum barathra præcipitant. Superioribus sæculis hæreses quædam, quas dudum abscondit antiquitas, subtiliores erant, vt Valentini, Marcionis, Arij: sed ista noua externis sensibus dedita, non in seueris Christianæ Ecclesiæ castris, sed in Epicuri hortulis educata, pios homines ac bonorum operum fructibus redundantes non capit, sed leues, steriles, suarumque libidinum seruos, vt altera Circe quibusdam lenocinijs atque philtris, in pecudes beluasque conuertit. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate rapiuntur: solæque inualidæ arbores turbinis incursione vertuntur. Proinde in istos, qui iuxta vetus elogium, cùm loqui nesciant, tacere non possunt, aliquot Philippicas scripsi, quibus & domicilium veritatis ostenderem, & hanc apud hęreticos esse non posse, & causam, cur plærique ad eorum castra deficiant, perspicuè demonstrarem. Quarum pri-


mam vt cæterarum exordium hoc tempore in lucem exire paſſus ſum, reliquæ propediem ſequentur.

Meum autem in hæreſeos oppugnatione & Catholicæ veritatis defenſione ſtudium, etſi Italiæ minus neceſſarium, in qua Romanam illam fidem Apoſtoli voce laudatam, tot ſæculis inconcuſſam & immobilem, fremant licet aduerſarij, permanſiſſe non dubium eſt: certe in Gallia inferioriq; Germania, vbi Chriſtianæ religionis ac fidei veritas, multis in locis variè ab hęreticis labefactata eſt, forte nõ inopportunum videbitur. Illud igitur quantulumcunq; eſt, tuo Ampliſ. Cardinalis nomini conſecrandum putaui: cuius vigilantiæ, Seraphici ordinis noſtri gubernacula Clemens VIII. Pontifex Max. iure cõmiſit. Intelligebat enim Apoſtoli Petri ſucceſſor omnium perſpicaciſſimus maioris Ecçleſiæ nauis admotus gubernaculo, minorem Franciſcani ordinis cymbã, à ſanctiſsimo patre Franciſco informatam factamq; diuinitus, ſuperiorum temporũ iniuria, à prima illa inſtitutione nonnihil eſſe mutatam, proinde ſentinæ vicio neſcio quid dedecoris obrepſiſſe. Itaque non eſſe procraſtinandum, ſed ordinem Seraphicum, ad priſtinam formam eſſe reuocandum. Qua in re tuæ amplitudinis opera & ſtudio potiſsimùm vti voluit Pontifex Max. quippe qui excellentem illius virtutem atq; conſtantiam, cum ſingulari in rebus gerendis dexteritate coniunctam, multis experimentis perſpectam haberet.

beret. Proinde cùm id in vrbe Italiaq́ue tuo ſtudio magna iam ex parte perfectum ſit: eandem felicitatem Gallia, tua Cardinalis ampliſſime, ope ac beneficio ſe breui conſecuturam, priſtinumq́ue decus ac reformationis ornamentum ſibi quoque reſtituendum eſſe, confidit. Quod erit omnibus ſalutare, & tuo nomini ad laudem & gloriam, & cæteris ad quietem. Chriſtus Dominus amplitudinem veſtram nobis ordiniq́ue noſtro ſemper & vbique ſeruet incolumem. Leodij, Kalend. Februarij, Anno 1597.

V. Amplitudini addictiſſ. ſeruus,

Fr. *Io. Dubliulius.*





PHILIPPICA ORATIO QVA INTER HVIVS SAECVLI TENEBRAS DOMICILIVM VEritatis perſpicuè demonſtratur, F. Ioanne Dubliulio Neruio, ordinis Minorum Obſeru. ſacræ Theol. profeſſore, auctore.



Etsi veritas vi ſua tantum valet, Ampliſs. Card. vt ea nihil amabilius, nihil pulchrius eſſe videatur: mendacium autem, quod nemini niſi ſpecie placet aliena, tandem ſponte vaneſcit ac defluit: tamen vellem mihi, ad hoc, quo nihil vulgo gratius eſſe conſueuit, coarguendum, illam verò, quæ ab aduerſarijs varie oppugnata, in obſcuro latêre à nonnullis exiſtimatur, illuſtrandam: etſi non qualis in Cypriano aut Lactantio fuit, aliquam tamen proximam eloquentiæ contingere facultatem; vt quantum Reipub. Chriſtianæ & mendacium noceat, & veritas conferat, à nobis ornatè copioſeq; expoſitum, ab omnibus poſſet intelligi. Quod ſane duabus ex cauſis fieri vellem, vel quod potius crederent homines quidam ornatæ veritati

ritati, qui etiam mendacio credunt, capti orationis elegantia, pompaque verborum: vel certe vt aduersarij suis potissimùm armis, quibus placere sibi & confidere solent, reuincerentur à nobis. Sed quoniam ea est ratio veritatis, vt Dei protectione secura, nec humano patrocinio magnopere indigeat, nec hostium multitudine terreatur: ingenium mihi mediocre, à Deo esse concessum, æquo animo fero. Itaque non eloquentiæ viribus fretus, sed veritatis fiducia, suscepi hoc opus, maius fortasse, quàm vt meis humeris sustineri posit; quod etiamsi vires meæ impares fuerint, Deo cuius hoc munus est, adiuuante, veritas ipsa complebit. Dicturus autem de rebus magnis ac maximè necessarijs, de fide alijsque ad Christianam religionem pertinentibus, quæ aduersarij adulterare conantur: veritatem ostendam, cuius ea vis esse solet, vt repugnantes animos ad se trahat. Nam si in magnete lapide ac succinis, hæc esse vis dicitur, vt anulos & stipulas & festucas ad se rapiant, sibique copulent: certè veritatis, quæ omne hominum genus ad se natura rapit, maior est virtus, vt suos amatores sibi strictisimè copulet. Quod si istis, qui suis erroribus fauent, ac in cœno libenter volutãtur, quod verum est, persuadere non possumus: nostros certè confirmabimus. eaque in re vtemur paucioribus fortasse verbis, quàm tantæ rei postulat magnitudo. Hinc autem blandos Sirenarum cantus ad fidei facienda naufragia dulciter pertrahentes, inde Scillæos obtrectatorum

Veritatis vis.

torum

torum canes, quorum importunis crebriſq́ue latratibus, eruditiſsimi homines adeò copioſè ante nos reſponderunt, vt etſi noſtrum areret ingenium, poſſet ex illorum fontibus irrigari, ſurda Vlyſsis in morem, aure pertrãſiens, flante ſpiritu ſancto, ſine cuius auxilio vana ſunt omnia, ceptæ diſputationis vela ſuſpendam. Tria igitur in hac orationẽ dicturus ſum. Primùm hanc religionem ac fidem, quam tanto ſtudio ac diligentia, Philippus Rex Catholicus defendit ac protegit, non ab hominibus excogitatam, ſed ab ipſo Chriſto, non ad tempus, ſed in æternum datam eſſe diuinitus. Deinde huius domicilium alibi, quàm in Romana Eccleſia eſſe non poſſe, planum faciam. Tertiò cur adeò multi, huius fidei lumẽ amittant, perſpicuè demonſtrabo.

Vnde igitur ordiar, niſi ab eo, quod etſi inter nos & aduerſarios conuenit, à Chriſto inſtitutam eſſe Eccleſiam, magiſtram & fundamentũ veritatis, tamen propter alios quoſdã ſiue gentiles ſiue ἀθέους, quorum hoc ſæculo plena ſunt omnia, pluribus verbis explicandũ eſt. Igitur noſtræ religionis ac fidei auctorem fuiſſe Chriſtum, non ſolùm ij, qui nomen illi dederunt, ac in illius verba iurarunt; ſed etiam illius hoſtes, vna voce conſentiunt. Tribus enim primis fidei ſæculis, cur in Chriſtianos tot ſuppliciorum generibus impij ſæuiebant, niſi quod illi repudiata religione maiorum, hominem crucifixum adorarent, atq; vt Deũ colerent? Id Iudæis atque gentilibus omnibus

1. Tim. 3.

Auctor fidei noſtræ Chriſtus.

bus Christi hostibus, nō in hac illáue prouincia, sed in toto terrarum orbe, adeò persuasum erat, vt nihil cuiquam certius videretur. Ipsum autem Christum, quē nos Dei filium confitemur: illorum plæriq; vel diuinum hominem ac sanctitate præcipuum, vel sapientissimum Deoq; charissimum fuisse dicebant. Iosephus Iudaicæ scriptor historiæ, suo tempore Iesum vnum sapientem fuisse testatur; si tamen, inquit, eum virum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor omniū, qui libenter verum audiebāt. Christus hic erat. Quem post immania suppliciorū genera & crucis ignominiam, mortuū ac sepultum, tertia die à mortuis resurrexisse dicit is, quem Christianum nunquā fuisse, perspicuū est. Sed cū is esset in lege doctissimus, hoc ex Prophetarum vaticinijs didicerat. Ex quibus Esaias ita vitæ mortisque Christi historiam texuit, vt Euangelistæ potius quàm Prophetæ officio functus esse videatur. Daniel autem quo tēpore Christus venturus esset, ostendit: vt minime mirum sit, si Iudæi quanquam veritatis inimici, ex scripturarū sole, aliquod veræ cognitionis lumen acceperint. Quid sapientissimi quique gentilium? Nónne ex Sibyllarum vaticinijs, quæ nostri, Lactantius, Augustinus, Arnobius, inter Græcos autē, Cæsareensis Eusebius, Clemens Alexandrinus, alijque sæpe commemorāt, Christū & sapientiæ laude cumulatum, & nostræ religionis auctorem fuisse didicerunt? Omitto eius inimi-

lib. 18. antiquitat.

Esaie. 53.

Daniel 9.

cos Celsum atque Porphyrium, ipsumq; Lucianum atheorum antesignanum, qui aliquando Christiani fuisse, sed post in perfidiæ barathrum deuoluti esse dicuntur. Attamen isti neque fidei fundamenta labefactare conati sunt, neque nostræ religionis auctorem, Christum vnquam negauerunt. Manebant enim omnium memoriæ illius insculpta vestigia: quo moriente orbis terrarum tanti facinoris conscius repentè contremuit: obscuratoq; sole, ac die in horrentes tenebras verso, æternam vt ait Poëta quidam, timuerunt sæcula noctem. Phlegon doctissimus Olympiadum emendator, qui sub Adriano Cæsare floruit, illud admirandum stupendumque prodigium, olympiade 202. in quam anno Tyberij Cæsaris decimo octauo, Christi mors incidit, insigniorẽ, quàm vnquam antea; solis eclypsim extitisse commemorat, die versa in noctẽ tenebrosam, ita vt toto cœlo stellæ micarent. Quod luna quintadecima soli ex diametro opposita, præter ordinem rationemq; naturæ accidisse, non dubium est. Præter Euangelistas omnesq; patres, ait Tertullianus illud miraculum in annales Romæ relatum, suo sæculo adhuc in archiuis publicè seruari; vt minimè mirum sit, si tum in Ecclesiæ nascentis exordio, omnium memoriæ esset insculptum. Quid de illo maximo terræmotu dicam, quo Cornelius Tacitus & Plinius duodecim Asiæ vrbes tum corruisse testantur? Dionysij Areopagitæ scripta prætereo. Hactenus enim illorum, qui à nostra religione

Tertull. in Apologet. Euseb. in chronico. Oros. li. 7. cap 4. libro 14.

Solis admiranda eclypsis in morte Christi.

In apologetico.

lib. 2. annalium li. 2. & 84. nat. Hist. Epist. ad Polycarpũ & Apollophanem.

religione alieni fuerunt, teſtimonia recitauimus. Venio nunc ad Ioannem Baptiſtam, Apoſtoloſque teſtes omni exceptione maiores, illoſque Eccleſiæ Patres, qui omnes Chriſtianam religionem, à Chriſto cepiſſe, vno ore conſentiunt. Ex quo Chriſtum, quem omnes probi abhinc mille quingentis annis vt Deũ coluerunt; improbi atque gentiles, aut Deum aut certe hominem ſapientiſsimum, Deoq́ue chariſsimum fuiſſe dixerunt; noſtrę religionis ac fidei auctorem extitiſſe, perſpicuũ eſt. Quæ cùm ita ſint, fidem ab eo traditam non à callidis hominibus inuẽtam, vt & de Numa Pompilio cum ſua Dea Aegeria, & ſuperioribus ſæculis de Arabe quodam, quem nominare pollutio eſt, cum ſua columba pſeudoprophetæ humeris inſidente, alijſq́; nonnullis, qui varia religionum genera excogitaſſe dicuntur, memoriæ proditum eſt; ſed à Dei filio allatã datamq́; diuinitus, certam ac veram eſſe, nõ dubium eſt. Hoc igitur argumenti genus, contra gentiles & atheos, quorum hoc miſerrimo ſæculo magnus eſt numerus, valere plurimũ, ipſi quoque aduerſarij confitentur.

Fides à Chriſto tradita vera & certa.

Hactenus inoffenſo cucurrimus gradu: veniamus nunc ad illius religionis ac fidei, quam à Chriſto traditam eſſe conſtat, domicilium, eumq́; hominum cœtũ, à quo veritas retinetur & colitur, demonſtremus: ne ſi ab illo aberrare contigerit, pro luce tenebras, mortẽ pro vita, pro veritate mendacium amplectamur. Vnde igitur dicendi ſumemus exordiũ,

Fides Christiana, constans & immobilis.

nisi ab antiquitate constantiaque doctrinæ, quæ fundata diuinitus, multis hostium machinis labefactari potest? Multis enim abhinc sæculis, non solùm à Neronibus, Domitianis, Decijs, alijsque persecutoribus, verùm etiam à Valentino, Marcione, Ario, cæterisque huiuscemodi pestibus veritas oppugnata, manifesto Dei beneficio & stetit immobilis & inuicta permansit. Igitur illud in primis. Christus fundator Ecclesiæ, inuidiosum nouatoris vocabulum semper fugit, illiusque doctrinam antiquitati consentaneam esse, perspicuum est. Sæpe cum Pharisæis, qui nouum ab illo doctrinæ genus adferri calumniabantur, dissserens: ad Moysen prouocat. Si crederetis, inquit, Moysi, crederitis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. & Scrutamini scripturas. Illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Quid Apostolus Paulus, de cuius nomine tantum hæretici gloriantur? Nónne in eo totus est, vt à Christo non nouū, sed antiquum doctrinæ genus allatū esse, planum faciat? Euangelium, inquit, Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos, & quæ sequũtur. Et alius Apostolus: Non nouum mandatū scribo vobis, sed vetus. Quid opus est multis? Ipsi quoq; Græci philosophi vt suum dicendi genus probent: illud ab Epicharmo, Procylide, Epicteto, Hermete Trismegisto, denique à Sibyllis, ipsoque antiquitatis fonte deriuant. Apud Platonem quoties legimus: ὡς παλαιός λόγος, cùm is aliquid de animorum immortalitate, de mundi creatio-

Christus nouatoris nomē semper fugit.

Ioan. 5.

Rom. 1.

1. Ioan 2.

Philosophi vbi de re grauiori agitur ad antiquos recurrunt.

Platonis exemplū.

creatione, de prouidentia Dei, alijsque id genus persuadere conatur? Nihil antiquius Dei verbo: nihil vna veritate præstantius, quę non ab hominibus excogitata, sed à sanctis prophetis primum obscurius: hinc per Apostolos clarius est reuelata diuinitus. Proinde non mihi hæretici, qui secum putant natam esse sapientiam, noua quasi de scripturarum fonte hausta, sui cerebri deliramenta confingant. Suspectũ est quicquid nouitatem sapit: quicquid ab Ecclesiæ antiquitate dissentit. Quid aliud sibi vult, quod huic à Salomone dicitur: Nasus tuus sicut turris Libani, nisi quod Ecclesia sensum Domini eminus odoratur? Hireneus vicinus Apostolicorum temporum, cùm in sui sæculi hæreticos agit; Nónne ad Polycarpum magistrum suum, ipsumq; Ioannem Euangelistã recurrit? Quid noster Augustinus? Nónne antiquiorem Cyprianum sæpe commemorat? Beatus Hieronymus Iouiniano Origenem vt antiquiorem opponit. Cæsariensis Eusebius in suis libris omnibus, nihil sæpius, quàm traditionem Ecclesiasticam vt antiquissimam in ore habet. Tertullianus hæreticis omnibus, quasi doctrinæ Christianæ corruptoribus & nouis adulteris, de antiquitate præscribit. Noua quidem placent, sed nouis hominibus, qui vt paruuli fluctuantes, circunferuntur omni vento doctrinæ, quorum animis nihil inconstantius, nihil leuius.

Hæretici sapientiam secum natam arbitrantur. Noua suspecta. Cantic. 7. Theologorum veterum exempla. Noua quibus placẽt. Ephes. 4.

At non ita Catholica Ecclesia, domicilium veritatis supra petram stabilem, Domini voce

fundatum, quod ab inferi portis variè oppugnari poteſt, expugnari non poteſt. Cuius inter huius ſæculi moleſtias ac preſſuras, ad Deũ

Pſalm. 60. vox eſt: Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me. Quàm multas anxietates hæc Eccleſia tot ſæculis ab eius exordio paſſa ſit, paucis verbis exprimi non poteſt. Attamen illius petræ beneficio ſtat & manet, æternumq́; manebit.

Amos. 6. Nunquid, ait Propheta, currere queunt in petris equi? Iſti feroces equi, tyranni, hæretici, Mahumetani, cæteraq́ue portenta, quæ inſolentiſsimè in hanc petram toties incurrẽtes, veritatis domicilium euertere conati ſunt: quid aliud egerũt, niſi quod ex illa rupe præcipites, non ſolùm victi, ſed etiam perditi corruerunt?

Matth. 16. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

Chriſti promiſſio. Magnum eſt, quod Chriſtus promittit Eccleſiæ: ſed non promitteret, niſi & vellet & poſſet ſeruare promiſſum.

Tribus de cauſis homines promiſſa non ſeruant. Nam cùm tribus de cauſis homines promiſſa non ſeruẽt. Primò quod fallendi animo pollicentur. deinde, quod eos pœnitet eſſe pollicitos. tertiũ, quod ea quæ promiſerunt, præſtare non poſſunt. Primum malæ voluntatis, alterum temeritatis. tertium impotentiæ indicium eſt. Quæ cùm in Chriſtum cadere non poſsint: Eccleſiæ Catholicæ templum, ſtabili mole fundatum, fremant licet hæretici, æternum manſurum eſſe, perſpicuum eſt. Portæ, inquit, inferi non præualebunt aduerſus eam.

Portæ inferi quæ. Quænam ſunt hæ portæ? Verba Domini cùm is de petra, clauibus, ædificio, cæteriſq́ue generis eiuſdem loquitur,

quitur, metaphorica esse, non dubium est. Astrologi quoque portas solis, cancri & capricorni signa esse dicunt. Historici Caucasi portas, Nili ostia: Medici, quos secutus Cicero post Platonem, iecoris portas sæpe commemorant. Quorsum hæc tam longo repetita principio? Vt intelligatur, nullum ędificium adeò firmũ ac validum esse, quod non aliquo casu aut terræmotu tandē intereat. Omnia orta occidunt, & aucta senescunt: vt cùm antiquata & diminuta fuerint, finiantur. Quis nesciat, subito terræmotu, non solùm splendidissimas ædes, sed etiam oppida, montes, totasq́ue prouincias ita absorptas, vt ad inferos descendisse videantur? Proinde si ab inferis centroq; mundi, in quem locum Dei sententia demones præcipitatos esse non dubium est: venti quidam quos spiritus vocant, ac subitus terræmotus erumperet: quæ fabrica tam stabilis esse posset, quæ non concussa corrueret? Atqui hæc Ecclesiæ fabrica Christi voce fundata, etiamsi ab inferis eorumq́ue portis mille terræmotus erumpant, labefactari non potest. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ita regni inferni, neque violentia, neque fraus, quæ proprie sunt duæ inferorum portæ, per quas in nostrum orbem tot tantasq́ue minas, quotidie diabolus, qui & leo & draco vocatur, immittit, magnam hanc Ecclesię molem vnquam euertet. Veniant tyranni, veniant hæretici, veniant illi scelerati, qui Christianũ nomen infamant, veniant politici panteris similes, quantalibet

Portæ solis. Caucasi portæ. Portæ iecoris. Terræmotus vis. Ecclesia Christi nulla vi euerti potest.

Quatuor vẽti in huius sæculi mare pugnantes.

macularum varietate resperſi (hi enim ſunt quatuor venti, qui per illas inferorum portas irrumpunt,& in huius ſæculi mari pugnantes, omnibus naufragium comminantur) neque horum aliquis,neque omnes ſimul,Catholicæ Eccleſiæ, id eſt, Petri nauim labefactabunt: quo minus inter violentos ſæculi fluctus, Dei protectione ſecura, in portum enatet. Quid illi Nerones, Decij, Maximini, cæteriq; impij Cæſares? Non ipſi Eccleſiam euerterũt, ſed in petris vt indomiti equi ferociter ſtulteque currentes, tandem præcipites corruerunt. Quid Simon Magus,Marcion,Arius, cæteræque hæreticorum peſtes? quid tot improbi & ſcelerati? quid tam multi politici? Num minimum Eccleſiæ dogma labefactare potuerunt? fuerunt hi, fateor, tot ſæculis maximi terræmotus,ſed Eccleſiæ moles ab ijs cõcuſſa, ſtat & manet. Ab his procellis maximi fluctus toto terrarum orbe ſunt excitati: ſed Eccleſiæ nauis agitari poteſt,obrui non poteſt. At forte illud doctrinæ genus, quod à Chriſto traditum, à maioribus accepimus,facile,planum, euidens eſt, vt humanum intellectum ad ſe ſtatim rapiat,qualia ſunt,quæ prima principia dicuntur:vt totum maius eſt ſua parte. Et fieri non poteſt,vt aliquid ſit & non ſit. Imò verò fides eſt de rebus obſcuris,quæ humani ingenij vires longe ſuperant,& à ſenſu aut omnino remotæ ſunt, aut plane contrariæ,vt Deũ eſſe trinum & vnum,virginem peperiſſe,hominẽ crucifixum eſſe Deum, verum Chriſti corpus

Prima principia.

Fides difficilis.

ſaxa

ſaxa penetraſſe: quorum fides atque credulitas cùm à voluntate, liberoque hominis arbitrio potius, quàm ab intellectu pendeant, eo magis mutationi videntur obnoxiæ. Huc accedit, quod in omnibus philoſophorum placitis atque dogmatibus, alioqui per ſe ſatis claris, tot ſententiæ quot capita fuerunt, teſte Plutarcho, ipſoque Ariſtotele, qui in refellendis aliorum opinionibus, eadem de re integros libros ſæpe compoſuit. Quę cùm ita ſint, Chriſtiana fides per ſe ſatis obſcura & à tam multis adeò varie oppugnata, tot ſæculis nō manſiſſet inuicta, niſi eſſet & fundata & protecta diuinitus. Illud eſt igitur veritatis domicilium, in quo mille quingentis annis, fides Dei protectione ſecura, immota permanſit. Quid poteſt clarius dici? quid magis eſſe perſpicuum? Simplex eſt veritatis oratio, rectéque Euripides: ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Galatas obiurgat Apoſtolus, quod tranſlati eſſent in aliud Euangelium, quod non eſt aliud. Nam omne quod falſum eſt, non ſubſiſtit, & quod veritati contrariū eſt, non eſt, iuxta id, quod ſancta mulier quondā orabat: Ne tradas Domine ſceptrū tuū ijs, qui non ſunt. & illud quod Apoſtolus ait: Ea quæ non erant, vocauit Deus, vt faceret eſſe, quod non erat. Veritas enim quæ ab illo diuinitatis fonte manat & profluit, manens in æternū, ſtabili mole conſiſtit. Mendacium autem cùm veritati, quaſi ſtipula igni appropinquauerit, confeſtim voratur, ac in cineres fauillaſque diſſoluitur:

li. de placitis Philoſophorum

Simplex veritatis oratio.

galat. 1.

falſa non ſubſiſtunt.

Heſther 14

& omnia dogmata falſitatis, quæ à Prophetis idola dicuntur, propterea quod ſimulata ſint atque conficta, penitùs contererentur. Illud interea veritatis inimicis placet, ſed ad extremũ torrentis inſtar tranſit ac deficit, nec vllo loco poteſt certa manſione conſiſtere.

Sed quoniam de antiquitate doctrinæ aduerſarij gloriantur; nobiſque hanc eripere conati, neſcio quid in angulis garriũt: Videamus vtrum illud antiquum ac primum docendi genus, quod à Chriſto traditum eſſe, perſpicuum eſt, apud illos eſſe poſsit. Igitur ante Lutherum atq; Caluinum aut fuit aliqua hominum cougregatio, quæ fidem diuinitus traditam conſeruaret, aut nulla fuit. Si nulla fuit, veram Chriſti fidem Eccleſiamque periiſſe, perſpicuum eſt. Nam ſi vera fides allata diuinitus, aliquo vel minimo errore viciari poteſt: quid in ea erit certum? quæ ratio fidei? quod probabilitatis argumentum? Certe ſi id fieret, omnia fluctuarent: cũ Eccleſia Chriſti eodem modo, iiſdem argumentis, eâdem auctoritate, qua veritatem docet, mendacium erroremque proponeret. Proinde cùm eſſet magiſtra mendacij, columna & firmamẽtum veritatis fruſtra ab Apoſtolo diceretur, cuius fundamenta nutarent. Antiqua ſententia eſt: mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur. Quis Eccleſiæ crederet, ſi videret, eam in aliquo eſſe mentitam? Quis non prudenter de illius teſtimonio doctrinaque dubitaret: ſi intelligeret, eam ſemel falſum aliquid pro vero

Fides vera nullo errore viciari poteſt.

1. Tim. 3

vero docuiſſe? Igitur perijt Eccleſiæ omnis auctoritas, ſi ea vnquam errauit. Vnde igitur, ait Auguſtinus, Donatus apparuit? de qua terra germinauit? ex quo mari emerſit? de quo cœlo cecidit? Hæc in ſe quoque dicta aduerſarij exiſtiment, ſi matrem Eccleſiam aliquando perijſſe contendunt. Vnde filij nati ſunt? quænam vos, aduerſarij genuit, ſi perijt mater Eccleſia? Conſequẽs ergo eſt, vos non eſſe filios Eccleſiæ Chriſti; ſed hæreticos mendacio fallente ſuppoſitos. Interim illa Chriſti verba prætereo: Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et Ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi. Quod ſi aliqua hominum congregatio fuit, in qua velut in veritatis domicilio fides antiqua ſeruata ſit: quæro ex vobis, quænam illa fuerit? Non mihi chimęras neſcio quas, non inuiſibiles quaſdam ideas proferatis, vt Eccleſiam veram, magiſtram gentium, montemque eleuatum ac poſitum in vertice montium abſcondatis, quo vt inferius oſtẽdemus, nihil abſurdius poteſt dici. Ante Caluinum, num aliqui Calniniſtæ fuerunt? Ante Lutherum, aliquis Lutheranus? Quid in re perſpicua opus eſt verbis? Nos certe à vobis decipi nolumus, ſed optamus ſemper in clariſsima veritatis luce verſari. Cuius tanta vis eſt, vt nemo poſsit eſſe tam cæcus, quin videat, hanc eſſe mendacio anteponendam. Nam ſi in rebus etiam minimis, in quibus eſt aliquis temeritati locus, verba nobis dari nolumus; quid in re grauiſsima, in nego-

li. 3. de baptiſmo c. 2 contra Donatiſtas.

Math. 16. & 28.

tio salutis ac vitæ, in Christiana fide, sine qua salui esse non possumus, faciendum est? Quis adeo supinus ac negligés,& ita suæ salutis oblitus:vt hic pro luce tenebras,mortem pro vita, venenum pro antidoto, pro veritate mendacium amplecti velit?Proinde domicilium veritatis hac oratione quæramus.

Mille quingentis abhinc annis, Romana Ecclesia, cuius nomen lucifugæ veritatis audire non sustinent,hęc ab Apostolo Paulo merebatur elogia: Fides vestra,inquit,annunciatur in vniuerso mundo, Et Sine intermissione memoriā vestri facio in orationibus meis. Et in extremo: Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi,vestra enim obedientia in omné locū diuulgata est.Et Apostolorū coryphæus:Salutat vos, inquit, Ecclesia in Babylone collecta, vel vt Græci legunt,coelecta. Ea certe vrbs tum potens orbisq; domina, scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione deleuit: in qua vrbe Apostolus Petrus, cui à Christo dominici ouilis cura cōmissa est,primus rexit Ecclesiam,inde Cleméti Apostolica voce laudato,cùm doctrinæ genus diuinitus traditum, adhuc incorruptum esset,quod nunc aduersarij mutatum esse dicunt,commendatá fuisse, veterum historiæ prodiderunt. Est historia, vt ait summus orator,lux temporum,vita memoriæ,nuncia vetustatis. Quis vnquam adeò indoctus atque impudens fuit: vt hæc aut ignoraret,aut à summis viris memoriæ prodita, negare auderet?Constat igitur religionem diuini-

Rom.1. Rom.15. 1. Pet.5. Hieron. in catalogo. Euseb. in Eccle. hist. Historia lux temporum.

uinitus traditam, primis illis fidei sæculis, cùm impij illi Nerones, Domitiani, Traiani, Antonini persequerentur Ecclesiam, Romanosque Pontifices, Cletos, Anicetos, Pios, Vrbanos, cæterosque ante magnum illum Constantinum crudelisimè occiderent, Romæ incorruptam esse seruatam. Aduersariornm doctisimi cùm Damasus, Syritius, Anastasius, Innocentius clauum tenerent Apostolicum, nihil adhuc Romæ mutatũ, neq; vllum illorum Pontificum ab Euangelica doctrina discesisse concedunt. Quæro igitur ab aduersarijs, quo imperatore, quo consule, quo denique tempore, religionem illam ac fidem Apostolica voce laudatam, Roma perdiderit. Nam fieri nullo modo potest, vt tãta metamorphosis, quantam aduersarij somniant, sine tumultu acciderit. Religionis mutationẽ, vt alia nouandarum rerũ genera prætercam, sine magno tumultu fieri nõ posse, si ante nesciuimus, certe nostro sæculo didicimus. Sacræ Eucharistiæ adorationem, cultumque sanctorũ, aduersarij non minus, quàm idololatriam gentiliũ execrãtur. Quæ cùm ita sint, dic mihi, si Romanus Pontifex hoc corruptisimo sæculo, ritũ illum antiquũ immolandi animalia idolisq; sacrificandi, in Ecclesiam vellet inducere: nullum Romæ motũ, nullum in Italia, Hispania, Gallia, cæterisque regnis atque prouincijs, quæ multis abhinc sæculis errore damnato, nomina Christo dederunt, perturbationem fore? neminẽ tantæ impietati reclamaturum? nullum,

fidem veram olim Romæ fuisse, negari nõ potest.

religionis mutatio sine tumultu non fit.

lum, qui huius ſacrilegij mentionem faceret, tantumque facinus literarum monimẽtis ſcriptiſque mandaret? neminem fore, qui locum, tempus, auctorem tantæ mutationis notaret, exiſtimas? An forte in toto terrarũ orbe nullus hiſtoricus fuit, qui hæc literis memoriæq; mandaret? Num omnes ſcriptores tum altiſsimo ſomno glirium inſtar torpebãt, dũ Roma noua ſacramenta, nouum ſacrificium, nouas ceremonias, nouum ac veteribus inauditum Religionis genus excogitaret: excogitatum in lucem proferret? Cæſarienſis Euſebius multis abhinc ſæculis, & Eccleſiaſticã Græce ſcripſit hiſtoriam, quam Rufinus Aquileienſis in Latinum imperante Theodoſio ſeniore conuertit, & illos ab orbe condito commẽtarios, quæ ob breuitatem ſcholia dicta, Hieronymus, Oroſius, Proſper, alijque recentiores poſtea auxerunt, & quicquid memorabile geſtum eſt in toto terrarum orbe, ad noſtram ætatẽ vſque duxerunt. Neque alij defuerunt, Caſsiodori, Gregorij Turonenſes, Vſuardi, Reginones, Mariani, Sigeberti, qui de rebus ſæculi ſui copioſius accuratiuſq; ſcripſerunt.

Græci latinorum inimici.

At hi Latini nominis homines forte Romanorum ſcelera ſacrilegiaq; tacuerunt. Quid Græci, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, alijque complures? In quibus plærique Romano nomini infeſti, ſi tantum nefas, non dico geſtum, ſed cogitatum eſſet; nunquam omnino tacuiſſent. Græci homines vſque hodie, non modo ij,

qui

qui ſub Turcarum imperio imò tyrannide gemunt, verùm etiam illi qui Venetorum republica continentur;Romanam Eccleſiam ita oderunt,vt ijs Latini noſtri propè infideles ac minime Chriſtiani eſſe videantur. Quis illorum vnquam alicui Romano Pontifici tã nefarium crimen obiecit, vt religionem diuinitus traditam, ab eo vlla ex parte mutatã fuiſſe diceret? Eſt quædam veritas ita perſpicua, vt adulterari mendacio corrumpiq́; non poſsit. Quid eos referam, qui peculiares certarum gentium atque regionum hiſtoriographi Hiſpanorum,Gallorum, Germanorum, cæterarumq́ue nationum acta curiosè ſcrutati, diligentiſsimè explicauerunt? Qui cùm minima quæque,vt conuiuia paulo lautiora,manicatas tunicas, gladiorum capulos, inaurata calcaria, taleſq́ue minutias, ſi nouitatem aliquam ſaperent, prætereundas ſilentio non putarent: ſi quid in religione mutatum,aut à primis ſæculis degeneraſſe intellexiſſent, nónne tantum facinus omnes memoriæ ac literis commendaſſent? Si non omnes,certe aliqui. Si non aliqui,certe vnus aliquis,id in commentarios retuliſſet. O negligentiam ſingularem! Nullus omnino,neque nobis amicus,neque inimicus, neque beneuolus, neque maleuolus fuit, qui tantum facinus aut memoriæ proderet,aut ſaltem vnico verbo ſignificaret? Nullus hiſtoricus,neque Græcus,neque Latinus,neque Germanus,Hiſpanus,Italus,Gallus, qui rem tantã memoriæ commendaret?Sed quod neq; factũ

neque

neque cogitatum vnquam fuit, illi qui res gestas literarum monimentis commendare consueuerant, factum dicere noluerunt. Ex quo perspicuum est, quicquid aduersarij garriant, in Ecclesia Romana, nihil adhuc fuisse mutatum; illamq; religionem, quam & Roma ab Apostolis Petro & Paulo, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, & portæ inferi oppugnare possunt, expugnare non possunt, hactenus diuina protectione securam, inter omnes procellas ac turbines mũdi, multorumq́; naufragia, immobilẽ intactamq́; mãsisse, felix illa fides Apostoli voce laudata, pro qua rogauit Dei filius; Ego, inquit, pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, quod nisi ab eo factum esset; vereor ne tale aliquid, quale non solùm Constãtinopolis superiori sæculo experta est, verùm etiam Alexandria ipsaque Antiochia, quæ tot sæculis sub imperio imò tyrannide barbarorum gemunt, etiam Roma pateretur. Quanquã enim illa vrbs, quæ multis quõdam auctavictorijs ius imperij sui terra mariq́; protulerat, exinde à Gothis ac Vandalis nõ semel sed sæpius capta, direpta, incensa est: tamen inter hostium truces vultus & barbarorum furores, Dei protectione secura, ita tempestatis sensit iniuriam, vt antiquæ religionis ac fidei detrimenta nulla sentiret.

romana fides nunquam mutata.

Rom. 1.

Luc. 22. felix romana fides.

Sed ne aduersariorum dicta silentio præterire videamur: quibus machinis Ecclesiam hactenus oppugnarint, animaduertere operæprecium est. Initio vt antiquitati patrumque senten-

romanam fidem varie hæretici oppugnarunt.

ſententijs aliquid deferre viderentur, ad eos ſe prouocare fingebant. Proinde veterum Auguſtini, Ambroſij, Tertulliani, Cypriani, laceras quaſdam truncataſque ſententias, quibus naſcentem confirmarent errorem, citare conſueuerant; antiquorum etiam Conciliorum nonnunquam recordari videbantur. At nihil fucatum poteſt eſſe diuturnum. Itaque noſtri cùm patrum ſcripta diligentius peruolutaſſent, collato cum aduerſarijs pede, qui loquacitatem facundiam, & maledicere omnibus, bonæ conſcientiæ ſignum arbitrabantur: in Romana Eccleſia retineri antiquiſsimum doctrinæ genus, quod Chriſti & Apoſtolorũ tẽporibus floruit, meridiana luce clarius oſtẽderunt. Illorum enim patrum Dionyſij, Ignatij, Polycarpi, Clementis, Athanaſij, Iuſtini, Cypriani, aliorumque, qui clariſsima Eccleſiæ lumina, toto terrarum orbe fulſerunt, præclaram aureamque ſententiam, vnde niſi ex eorum monimentis ſcriptiſque diſcemus? Hi enim Chriſto tanquam vero iuſtitiæ ſoli vicini, cùm in Eccleſia ſingulis ætatibus floruiſſent, ſcriptorum ſuorum nobis radios reliquerunt. Ita experientia rerum magiſtra docente cognoſcimus, nos iſto ſæculo idem ſentire, quod patres antè ſenſerunt. Quid enim aliud in Eccleſia Catholica nunc docetur, niſi quod Auguſtini, Ambroſij, Cypriani, cæteriq; patres ab Apoſtolis per manus traditum acceperũt? Quod cùm aduerſarij non ignorent, ne victi eſſe videantur, aliam ſtrophã ſibi excogitandam

Patrũ ſcripta nobis eorũ fidẽ oſtendunt

gitandam

gitandam putant. Hærefis vinci poteſt, quieſcere non poteſt. Proinde contra clariſsimum Dei verbum, ad quod initio ſe prouocare fingebant, Eccleſiam iam dudum interijſſe, vel quod idem eſt, falſum docere cepiſſe blaſphemant.

Hæreticorum variæ opiniones.

Sed bene habet, quod inter illos nó conuenit, quo tempore ceperit talis impietas. Lutherus ait, primum id accidiſſe Conſtantienſis concilij tempore. At poſt aliquanto prudentior, cùm intellexiſſet, ante Conſtantienſe concilium, eandem, quam nunc Romana profitetur Eccleſia, fidei fuiſſe doctrinã, ob illud vaticinium, quo in Ioannis Apocalypſi, Satanam per mille annos ligatum fore dicitur; errorem Eccleſiæ quingentis ab hinc annis natũ eſſe contendit. Quod figmentum ab VViclepho, teſte Valdenſi, ſumptum eſt. Sic aſpis à vipera venenum mutuatur. Sed cùm is intelligeret, antiquiores patres opinioni ſuæ ac hæreſi, nihilo magis fauere, ait Eccleſiam veram, quingentis aut ſexcentis tantum annis manſiſſe poſt Chriſtum. Ita Lutherus iſtorum anteſignanus. Quo teneam nodo mutãtem Prothea vultum? Melanchton eius diſcipulus & auditor, in Auguſtana confeſsione toties recocta, ait Eccleſiam trecentis ab hinc annis errare cepiſſe. Prudentis hominis eſt, nonnunquã mutare ſententiã. δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Proinde in communibus locis primo editis, quod à Caluino forte didicerat, Eccleſiam vſque ad tempora Gregorij magni, quem iſti vlti-

tomo 2. c. 18.

Luteri inconſtantia In lib. de ſupput. annorum. & de capti. Babylon.

Melãchtõ.

vltimum Pontificem vocare non dubitant, incorruptam mansiſſe dicit. Melanchtonem ſequitur Smidelinus: πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. At cum iſti viderent, Gregorium magnum cum illorũ errore pugnare, ad Conſtantini tempora Nicęnumq́ue Concilium, Chriſti doctrinam veramq́ue religionem integrã permanſiſſe, Baſilium autem ex Gręcis, ex noſtris Auguſtinum cæteroſq́ue exinde corruptam tradidiſſe dixerunt. Proinde Zozimum Papam, qui imperãtibus Arcadio & Honorio floruit, quo tempore Auguſtinus acriter oppugnabat hæreticos, primum Antichriſtum fuiſſe contendunt. O præclaram aduerſariorũ fidem atq; conſtantiam! Sed cùm in antiquioribus, Arnobio, Clemente Alexandrino, Hireneo, Origene, Tertulliano, Dionyſio cæteriſq́ue non amplius eſſet ſpei, quàm in ijs, qui poſterioribus ſæculis floruerunt: ipſo Chriſti tempore defectionem Eccleſiæ cœpiſſe dixerunt. Ita Lutherus in Eraſmum. Melanchton in 1. ca. Cor. 2. Caluinus multis locis. Beza in 2. epiſt. Theſſ. ca. 2. Antichriſtum ipſis Chriſti & Apoſtolorum temporibus extitiſſe cõtendit. Quid iſtis hominibus facias, qui contra clariſsimum Dei verbum, Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi: Et Spiritus Sanctus in vobis erit, & vobiſcũ manebit, adeo impudenter ſtulteq́; blaſphemant? Hoc nimirum eſt, iuxta tritum vulgi ſermone prouerbium: ſexagenarios de ponte deijcere. Sed bene habet, quod nos idem ſentire,

In Staphylum.

li. de ſeruo arbitrio. tractat. de ſcandalis. & libr. 3. inſt. cap. 8. & præf.

Matt. 28.

Ioan. 14.

quod Christi Ecclesia mille quingentis annis sensit & docuit, aduersarij confitentur. Proinde si Tullio dicere licuit, se cum Platone errare malle, quàm cum cæteris rectè sentire: quã pulchrum est nobis, quàm Catholicis gloriosum, idem in fide ac religione retinere, quòd omnes Patres, totaque antiquitas sensit ac docuit. Malunt aduersarij accusare Patres, quos nobiscum errare contendunt, quàm aut errorem suum agnoscere, aut suam imperitiam confiteri. Ex quo intelligi potest, à nobis eandem fidem religionemque retineri, quam Christi Apostolorumque temporibus tenebat mater Ecclesia. Certè quicquid dicant hæretici, nobis antiquitatem eripere non possunt: eorumque dissensio, qua tandem ad istud absurdissimum dogma delapsi, Ecclesiam Christi potius errare nobiscum, quàm nos aliud docere, quàm Patres, stultè asseuerant, nostræ fidei robur est.

Antiquitas doctrinæ Catholicis eripi non potest.

Qua in re veterum hæreticorum sequuntur insaniam, qui Tertulliano teste idem asseuerabant. Videamus, inquit, num Apostoli simpliciter & plane, omnem regulæ ordinem ediderint: Ecclesia autem suo vicio aliter acceperit, quàm Apostoli præ se ferebant. Omnia enim ista scrupulositatis incitamenta inuenies prætendi ab hæreticis. Hoc si ita est: neglexit officium Dei villicus, Christi vicarius Spiritus sanctus. Sed quæro ab istis, si Romana Ecclesia, quæ nunc est, ab antiqua fide ac religione dissentit: quo tẽpore cœpit talis ac tanta mutatio?

li. de præscript.

mutatio? Certè constat Romanam Ecclesiam ab Apostolis Petro & Paulo, Nerone imperante institutam fuisse. Quo igitur imperatore? quo consule? quo rege? quo denique tempore, ab illa institutione defecit? Dicitis, illam degenerasse, nec tamen id factum potestis ostendere. Sed adiuuabo vos. Antiquæ doctrinæ mutationẽ duobus modis potuisse fieri dicimus. Primò ex professo & in vniuersum, sicut Ecclesiæ veteris status, in nouã à Christo mutatus est. Altero modo fides nõ tota simul, sed paulatim ac successiuè mutari potuit. At fieri nõ potuit, vt huiuscemodi mutatio in vniuersum, post Christi tempora ita occultè facta sit; quin de loco, tẽpore, nouis dogmatibus, mutationis auctore, illius impugnatoribus, denique de eius doctrinæ principio incrementisq; constaret. Nam si non in noua Ecclesiæ institutione, sed veteris à Christo renouatione, hęc omnia tã euidẽter ostẽdi possunt, vt nihil magis posit esse perspicuum: quãto magis, si post Christum noua instituta esset Ecclesia? Quod certe fieri necesse est: si doctrinæ genus vniuersaliter est mutatũ. Hoc autẽ ab aduersarijs ostendi nõ posse, perspicuũ est. Quæro enim quãdo & vbi hoc acciderit? Nos aperte ostẽdimus, quo tẽpore, loco, auctore, quibus initijs Ecclesia secesionem à synagoga fecerit. Proinde si idem vnquã in Ecclesia Romana accidisset, posset ostendi. Nam si circa quamlibet etiam minimam & obscurã hęresim hoc facile ostẽdimus: in Rom. Ecclesia, qua nihil vnquã

Doctrinæ mutatio duob⁹ modis fieri potest.

orbis vidit illuſtrius, ſi talis ac tanta mutatio facta eſſet: clara eius rei memoria multorum literis monimentiſque conſignata, hoc ſæculo extaret. Sed nimium vrgeo. Proinde lenius agam, neq; reuocabo.

In religionis mutatione ſex oſtenduntur.

In omni religionis inſigni mutatione, plura facile demonſtrari poſſunt. Primùm eius auctór, deinde nouum aliquod dogma veteribus inauditum, tertiò tempus quo id cœpit. hinc locus vbi cœpit. tú qui fuerint eius nouitatis impugnatores, ad extremum, cœtus aliquis initio exiguus, qui paulatim accedentibus alijs, augetur & creſcit. In Eccleſiæ naſcentis exordio, hæc omnia facile demonſtrantur. In

Exemplũ à Chriſto.

primis eius auctor Chriſtus, qui iuxta Prophetarum vaticinia ſynagogæ ſtatum ad Eccleſiæ tranſtulit dignitatem: cuius diſcipuli, Chriſtiani toto terrarum orbe dicuntur. Inde noua fidei dogmata veteribus incognita; Deum eſſe trinum & vnum, virginẽ peperiſſe, Dei filium pro ſalute hominum mortuum ac ſepultum, tertia die à mortuis ſurrexiſſe aliaque quorum nouitatem mũdus obſtupuit. Hæc anno quintodecimo imperij Tyberij Cæſ. documenta cœperunt. Si locum quæris: In Palęſtina, Iudęa, Hieroſolymis, clariſsima tum Aſiæ ciuitate. Hinc à Scribis ac Phariſæis nouũ hoc docendi genus acriter oppugnatum, exinde non ſolùm à Iudæorum, ſed etiam à Gentilium Principibus ſumma vi omnique ſæuitiæ genere petitum, impugnari potuit, expugnari non potuit. Ad extremũ cùm initio lõge pauciores Chriſtiani,

ſtiani,quam Iudæi eſſent, à quibus illi ſeparationem faciebant: ille tamen hominum cœtus exiguus, accedentibus paulatim alijs creſcens, tandem orbem impleuit. Si ergo in renouatione ſtatus Eccleſiæ, hæc omnia tam perſpicuè demonſtrantur: quanto magis ſi in Eccleſia Romana facta eſſet ea mutatio, quam aduerſarij ſomniant? Quid quod ea omnia in ſingulis hæreticorum ſectis facillime demonſtrantur? Arianorum hæreſis, vt res exemplis fiat illuſtrior, Arium quendam, presbyterum Alexandrinũ, auctorem habuit. Neſtorianorũ, Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopũ. Lutheranorum, Martinum Lutherum presbyterum ordinis Eremitarũ, ſancti Auguſtini profeſſorem. Hinc non eſt obſcurum, quæ noua dogmata illi excogitauerint. Arius Dei filium creaturam eſſe dicebat. Neſtorius, in Chriſto duas eſſe perſonas. Lutherus, hominem iuſtificari per fidem ſpecialem, id eſt, ſi ſe iuſtum exiſtimet. ad hæc Euchariſtiam non eſſe ſacrificium. Tertiò, quo tempore cœperint, nouimus. Ariana quidem hæreſis, imperante Conſtantino magno, anno Domini CCC. XXIV. Neſtoriana anno CD. XXXI. Lutherana anno M. D. XVII. Quo loco cœperint, etiam nouimus: hic in Saxonia, Neſtorius in Thracia, Arius in Aegypto. Inde hunc ſtatim à Sylueſtro Roman. Pontifice, à Nicæna Synodo, ab Athanaſio, Hilario, Gregorio Nazianzeno: illum à Cœleſtino Pontifice, Epheſino Concilio, Cyrillo, alijſque permultis. Lutheranam hære-

Ab Arianis

Neſtorius.

Lutherus.

hæréſim à Leone X. Pontifice Max. à Concilio Tridétino, ab academijs omnibus Catholicis, plurimiſque doctoribus impugnatam eſſe. Ad extremum intelligimus, iſtarum ſectarum initia valde exigua fuiſſe, multoque plures Catholicos, à quibus illi receſſerunt, toto terrarum orbe diffuſos, quàm aut Ariani, aut Neſtoriani, aut Lutherani fuerint. Hæc in omnibus inſignioribus ſectis facile oſtendimus. Quid autem in Catholicis aduerſarij tale demonſtrant? Romana fides Apoſtoli voce laudata, quo auctore mutata eſt? Quo loco? Quo tempore? Quęnam ſunt ea noua dogmata, quæ orbi terrarum repentè obtruſa ſunt? Qui tãtæ mutationis auctores? Quinam antiquæ religionis impugnatores? quænam incremẽta nouæ? Fumos quoſdam aduerſarij obijciunt, vt orbi terrarum veritatis lumen eripiant.

Alter mutationis modus. Inſtit. lib. 4 cap. 2.

At fieri potuit, vt Chriſtiana fides nõ tota ſimul, ſed ſucceſsiuè mutata ſit. Ita Caluinus, quem nominare ſcelus eſt, dormientibus paſtoribus, errores in Rom. Eccleſiam obrepſiſſe contendit. Sed quęro: quiſnam ille primus error fuit? quod dogma veteribus incognitum, adeò latenter obrepſit? Deinde ſi ita eſt, cur primum illum errorem nemo reprehendit? Romana Eccleſia leuiſsimũ aliquẽ fidei errorem diſsimulare non potuit: neq; ſolùm Valentino aut Marcioni, ſed etiam obſcurioribus Praxeæ ac Nouatiano cõtinuo reclamauit. Sed fingamus iſtum errorem, qui vt ait Caluinus, Rom. Eccleſiæ ita latenter obrepſit, fuiſſe vel

Error ſ latenter obrepſiſſe, Caluinus ait.

adora-

adorationem Eucharistiæ, vel cultũ sanctorũ: cur tanto errori, quod maximum pietatis genus duxit antiquitas, ante istum nullus nisi forte hæreticus reclamauit? Canibus natura insitum est, vt ignotis hominibus allatrent, domumq́; custodiant:& tu superioribus sæculis sanctos & incorruptos homines defuisse, qui tantam vt dicis, impietatem redarguerent, arbitraris? Ex Aesopi puteo modò venis, & statim clamas? Nimirum expectandus erat iste Caluinus, religiosus ac sanctulus, qui tanquam alter Barcochebas Iudaicæ quondam seditionis auctor, flammam ore conceptã tenere non poterat: ante quem nullus ardore zeloque pietatis accensus, in impios auderet labra diuidere; qui nisi tandem aliquando venisset, ignorantiæ tenebris inuolutus, ac diro errore sepultus orbis iaceret. Itaque tam diu erratum est, quam diu istius hæreses non fuerunt. Hũc liberanda veritas expectabat. Interea tot sæculis perperam euangelizabatur. tot hominum myriades perperam tinctæ. tot nationes, regna, prouinciæ, sine vera fide, Christianæ fuerunt. Quadringentis abhinc annis Berengarius quidam Andegauensis nescio quid in Eucharistiæ Sacramentũ dicere cœpit in Gallia: tamen superioribus sæculis sine vllo motu Missæ sacrificium cultumq́; sanctorum receptum fuisse, perspicuum est.

Caluini qualis zelus.

Berengarius.

Sed ad certiora veniamus. Cõstituta & permanente Christi Ecclesia supra petram stabilẽ Domini voce fundata, ista doctrinę inno-

uatio, quam aduersarij in Rom. Ecclesia factá esse dicunt, fieri nullo modo potuit, nisi per quandam separationem ab Ecclesia Christi, quæ errores neque antiquos sequi potest, neque amplecti nouos. Facile autem ostendimus omnem separationem ac doctrinæ innouationem factam esse, Romanæ Ecclesiæ stante ac permanente doctrina: hanc autem à nulla antiquiore, quæ veræ Ecclesię opinionem haberet, discessisse, doceri potest. Ex quo Rom. Ecclesiam antiquissimam esse, perspicuum est. Christus autem vnam Ecclesiam instituit, neque post alia est instituta diuinitus. Nisi forte Valentini, Marcionis, Arij, aliorumque hæreticorum conciliabula, Christi Ecclesia dicenda sunt. Omnis autem innouatio doctrinæ, facta est per separationem ab antiquiore doctrina. Doctrinæ verò genus, quod Euangelio coruscante prædicatum atque susceptum illi cótrarium aliqua ratione percrebuit, aut verum aut falsum est. Si verum, consequens est, vt Christi Ecclesia falsum antea comprobarit, quo nihil absurdius dici potest. Si falsum, contra veritatem antiquiorem exortum sit, necesse est. Ita vtrobique, veritas mendacio probatur antiquior. Hæreses autem omnes, quas Męnander, Valentinus, Marcion, cæteræque pestes in orbem, contra antiquiorem veritatis regulam induxerunt: à quo nisi à Romana Ecclesia, nimirú antiquiore deprænhensæ ac refutatæ fuerunt? Ex quo perspicue intelligitur, quemadmodum inferius ostendemus,

Rom. Ecclesia antiquissima.

Veritas antiquior mendacio.

mus,hoc esse domicilium veritatis,quo nullū inuenitur antiquius. Neque enim aduersarij, quicquid in angulis garriant,Rom.Ecclesiam ab alia antiquiore discessisse, vnquam ostendent.

Venio ad successionis seriem, quam istæ *lucifugæ veritatis* ferre non possunt.Dico igitur ab eo hominum cœtu, ab ea congregatione,in qua ab ipsius Christi felicissimo tempore,nec Episcoporum est interrupta successio, nec vlla doctrinę dissensio in capitibus ostendi potest,antiquā retineri fidem. Atqui Rom. Ecclesia, cuius in gremio multæ inferiores se esse lætantur,eaque sola talis est: quæ cadentibus cæteris, cum ea pugnare solitis, sola stetit ac permansit immobilis. Vbi nunc est Antiochena,in qua Christianorum natum est vocabulum gloriosum? Vbi Alexandrina, quæ ab Euangelista Marco fundata,illa quondam Ecclesiæ lumina, Dionysios, Clementes, Pantænos,Origenes,Athanasios orbi dedit?Vbi Cōstantinopolitana,huius quondam æmula, quæ Augustorum potentia fruebatur,Romanæque non solùm æquari, verùm etiam anteponi volebat?Omnes istæ hæretica sorde pollutæ,mutato genere doctrinæ, ac Episcoporum successione sæpius interrupta,tandē aliquot abhinc sæculis ita sub imperio imò tyrannide barbarorum gemunt,vt ijs in locis, Christianæ religionis ac fidei vestigium vix extare videatur. Romam autem, qua nihil olim potentius, nihil clarius, magno Dei beneficio, iuxta Pro-

Successionis series in sola Ro. Ecclesia.

Esa. 26. phetæ vaticinium, ita humiliauit vsque ad terram & conculcauit pes pauperis, gressus egenorum: vt illa ciuitas quondam orbis domina, Christianæ fidei colla submittens, multo iam sit religione felicior, quàm olim erat potestate sublimis. Eius enim nomen multis quondam gentibus ignotum, nunc Euangelio coruscante, per Beati Petri sedem, in Aethyopia & India, denique toto terrarum orbe percrebuit. Huic sedi diuinitus constitutæ, certo vaticinio dictum est: Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit: & gentes solitudine vastabuntur.

Romana Ecclesia toto terrarum orbe clarissima.

Esai. 60.

Sed vt eò vnde digressa est, reuertatur oratio: præter Romanam, nulla sedes, in qua tot sæculis, ab ipsius Christi temporibus, Episcoporum sit continuata successio, demonstrari potest. Reuoluantur annales, ex quibus intelligetur hoc ita perspicuum esse, vt aduersarij negare non possint. Neque enim Antiochena Ecclesia, ab ipso Apostolorum principe fundata, neque Alexandrina, neque ipsa Hierosolymitana hoc priuilegio gloriari potest. In Byzantina verò, quam vrbem Cōstātini magni nomine insignem, Græci etiam hoc tempore nouam Romam appellant, quoties fuerit interrupta successio, quoties illa Ecclesia Nestorianorum, Monothelitarum, Iconoclastarū, cæterarumque pestium errore fœdata sit, paucis verbis exprimi non potest. Vtut est, quicquid aduersarij somnient: illud certe constat, vbi doctorum noua successio est, ibi doctrinę

In Ecclesiis Alexandrina & cæteris præter Rom. interrupta successio.

genus

genus antiquum esse non posse. Cùm autē ab ipsis Apostolorū tēporibus in Ecclesia Rom. idem doctrinę genus cum Episcoporū successione permāserit: hanc omnium antiquissimā esse, doctrinæq; genus ab Apostolis traditum retinere, non dubium est. Eam igitur Romanorū Episcoporū successionē ad nostra tēpora continuatā, aduersarij negare: mutatum doctrinæ genus probare non possunt. Quid ergo sibi vult victa perfidia? quid tantus animi tumor? quid propriæ salutis obliuio? An extra veræ Ecclesiæ castra, Christianæ militiæ locus est? Errasse humanum est: sed certe dementiæ, perseuerare in errore. Sed vt ad rem de qua agimus, reuertamur: quemadmodum in naui vnus est gubernator, certaque regendæ nauis ratio, qua hæc inter fluctus ac scopulos, piratarum insidias ac mille discrimina, primùm ex magnetis contemplatione dirigitur, hinc in portum salua perducitur: ita in Ecclesia Rom. inter varios hæresum fluctus errorumque symplegadas, & innumeros turbines ac procellas, quæ nauigantibus quotidie naufragium comminantur, vnus est rector, certaque fidei regula, qua & vnitas conseruatur, & præsentes non solùm inter se, verùm etiam cum antiquitate consentiunt. Eodem enim religionis ac fidei glutino copulati, & ab illo gubernatore directi, suum cursum sine vllo errore conficiunt. Nec est vlla ratio regendę huius maximæ nauis aptior, quā si vnus in puppi sit gubernator, cuius imperiū & nautæ audiāt, Ro. Ecclesiæ nauis.

& omnes

&omnes vectores iudicium atque sentētiam in fidei controuersijs, sequantur ac teneant. Quo sublato cùm dextrum Scilla latus, læuum implacata Charybdis obtineat: certus error, ipsumque naufragium sequatur, necesse est.

Deut. 17. In synagogæ naui, gubernator olim vnus.

Olim in synagogæ naui erat gubernator vnus à Domino cōstitutus, cuius iudicio cuncti obtemperare deberent. Qui autem, inquit, superbierit, nolēs obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël, cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Ita in synagogæ, vt ita dixerim, myoparone. Quanto magis in longe maiori Ecclesiæ naui, gubernator est necessarius, cuius iudicium atque sententiam omnes sequì debeāt? Alioqui vt in ciuitate, nisi obtemperetur magistratui, seditiones, cædes, ciuilia bella nascuntur: ita in Ecclesia non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quā inde, quod sacerdoti Dei nō obtēperatur, nec vnus ad tempus sacerdos & iudex vice Christi cogitatur. Cui si secūdùm magisteria diuina obtemperaretur: nemo aduersus collegium sacerdotū quicquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum, iudicem se iam non Episcopi, sed Dei faceret: nemo disidio vnitatis, Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placēs ac tumens, seorsum foris hæresim nouā conderet. Quid autem singuli Pontifices, qui Ecclesiæ

Quāto magis in Ecclesiæ naui

Cyprian. epist. 55.

clesiæ nauim superioribus sęculis gubernarũt, de fide senserint, non est obscurum. Eadem igitur ratione constat nos antiquissimę Ecclesiæ consentire. Nam si primus Pontifex Romanus, à Christo vel ab Apostolis constitutus est, cùm illius nunquam sit interrupta successio, neque ab vllo doceri posit, vllum Pontificem, vt erat Ecclesiæ pastor, aliquid docuisse à superiorum fide ac religione dissentiens, à nobis, qui Apostolicæ sedis cancellis continemur, idem doctrinæ genus, quod ab Apostolis traditum est, retineri seruarique perspicuum est. Aliud esset, si aut doctrinæ genus aliquando fuisse mutatum, aut hanc Romanorũ Episcoporum successionem non esse continuatã, aduersarij probare possent. Quod cùm ab ijs fieri nequeat, illorum calumnias atque mendacia iure meritoque ridemus. Hoc argumentum de successione Pontificum, clarũ antiquæ doctrinę testimonium, tanti à patribus factum est: vt Augustinus dicat se hoc vno in Romana Ecclesia contineri, Et alibi hoc argumentũ tanquam firmissimũ hæreticis obijciens, Pontifices ab Apostolo Petro vsq; ad Anastasium, qui tum Petri sedem obtinebat, enumerat. Ita Tertullianus: Aedant, inquit, hæretici origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionẽ ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clemẽtem à Petro

Ex successione Pontificũ, antiquitas doctrinæ ostẽditur.

lib. contra epistolam fundamẽti cap. 4.

li. de præscript.

tro ordinatum refert. Confingant tale aliquid hæretici. Quid Epiphanius? Nonne in Harpocratem hæreticum agens, eodem in primis nititur argumento? Et ne quis, inquit, miretur, quod tam exactè ſingula recenſemus. Per hæc enim claritas ſemper oſtenditur. Optatus Mileuitanus, Romanos omnes Pontifices ab Apoſtolo Petro vſque ad Syricium, qui tum ſedebat, enumerat: vt Donatiſtas in Eccleſia non eſſe, oſtẽderet. Deinde adijcit: Vos veſtræ Cathedræ originem oſtendite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare. Quid Auguſtinus? nónne eodem modo Pontifices omnes enumerat? Et alibi: Tenet me, inquit, in Eccleſia ab ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus cõmendauit, vſq; ad pręſentem Epiſcopatum ſucceſsio ſacerdotum. Sic noſter Hieronymus (vt Ireneum Lugdunenſem antiſtitem omittam, qui eundem ordinẽ referẽs, Romanorum Pontificum ſeriem, ad Eleutherium vſq; deducit) nónne is pluribus locis, hoc tanquam validiſsimum argumentũ opponit hæreticis? Ante quem Cyprianus, Lucio, qui Cornelio in Apoſtolica ſede ſucceſſerat, conſentire, idem eſſe, quod cum Apoſtolo Petro ſentire, dicebat. Ita quódam clariſsima Eccleſiæ lumina ſentiebant, ac ſcriptum poſteris reliquerunt. Dubitabimus igitur nos illius Eccleſiæ gremio condere, quæ ab Apoſtolis per ſucceſsiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, auctoritatis culmen obtinuit? Manendum eſt, ait Auguſtinus, in ea Eccleſia,

Hæreſi 67.

li. 2. contra Parmenia.

epiſt. 165. ad generoſum contra epiſt. fund. ca. 4

Contra hæreſes c. 23. Ad Pamachium & Oceanum, & contra Luciferianos, lib. 1. epiſt. 6 & lib. 4. epiſt. 3.

Ecclesia, quæ ab Apostolis fundata, in hunc vsque diem durat.

Sentio Amplissime Cardinalis, quàm scopuloso difficiliq; in loco, iuxta multorum opinionem atque sententiam versetur oratio mea: sed veritas in isto controuersiæ genere, tanto studio, diligentia, contentione, vt maior esse non posit, ab aduersarijs oppugnata, premi potest, opprimi non potest. Illud habeo dicere, cùm de Petri Apostoli sede, ac de primatu Pontificis agitur, de summa rei Christianæ agi. Id enim quæritur, vt ait eruditissimus Bellarminus, vtrum Ecclesia diutius consistere, an dissolui, ac interire debeat. Quid enim aliud est, inquit, quærere, an oporteat ab ædificio fundamentum remouere, à grege pastorem, ab exercitu Imperatorem, solē ab astris, caput à corpore: quàm an oporteat ædificium ruere, gregem disipari, exercitum vinci, sydera obscurari, iacere mortuum ac sine nomine corpus? Proinde aduersarij cùm in alijs fere dogmatibus, non minus inter sese, quàm à nobis summa contentione disideant: in hoc tamen syncretizantes, facta manu repentè conueniunt, vt totis viribus, Romani Pontificis sedem oppugnent. Sed non est huius loci, hāc tractare materiam, quod paucis verbis agi nō potest: & ante nos multi eruditione doctrinaque præstantes, tam accuratè, copioseque fecerunt, vt etiamsi nostrū areret ingenium, posset ex illorum fontibus irrigari. Proinde venio ad vltimum argumentū, quo fidei Catholicæ

De Petri sede agēs, de summa rei Christianæ agit

Hæretici suo mucrone se iugulant.

licæ demonstratur antiquitas. Id ab aduersarijs, qui suo mucrone se iugulant, sumitur.

Centuriatores.

Magdeburgenses centuriatores magno studio ac diligentia, Catholicæ doctrinæ genus labefactare conantur, sed certiore Dei prouidentia, nostræ religionis ac fidei antiquitatem ostendũt, dum nescientes, suo testimonio nostra confirmant. Extant tredecim eorũ libri, quas centurias vocant, quibus tot sæculorum Catholicos, ab ipsis Apostolorum temporibus nostra tenuisse demonstrant. Tanta efficacia veritatis, tanta vis est: vt non solùm ex inuito pectore, sed etiam ex nesciente lingua nónunquam erumpat. Igitur centuriatores quid singulis ætatibus ac sæculis de libero arbitrio, de iustificatione, de inuocatione sanctorum, de ceremonijs antiqui patres Catholici senserint, luculenter ostendunt. In singulis centurijs, quæ fuerit eius sæculi doctrina, satis diligẽter exponunt. Hinc de ceremonijs agitur, inde de Ecclesiæ gubernatione, de Doctoribus & Episcopis, ad extremum de Ecclesiæ persecutione tractatur. Pauca ponam exempla, ex quibus, quod dico, facilius posit intelligi. Centuria secunda, cap. 4. ab omnibus illius sæculi magistris atque doctoribus liberum arbitriũ asseri dicunt. Quo doctrinæ genere Lutheranæ insaniæ fundamentum euerti, quemadmodum ipse Lutherus nõ semel, sed sæpius confitetur, perspicuum est. Eo, inquiunt, sęculo, de iustificatione doctrinam obscurius esse traditam, propterea quod nullus hominẽ sola fide

Cap 4.

Art. 36. & coll. 60.

iuſtificari aſſeueret. Et paulo poſt: Videas, inquiunt, in doctorum huius ſæculi non obſcura veſtigia inuocationis ſanctorum, aliaque multa in hunc modum, ex quibus intelligitur, primis illis fidei ſæculis, Patres atq; doctores ſenſiſſe nobiſcum, doctrinæque genus aduerſariis repugnans atque contrarium tradidiſſe. Quid Caluinus? Nónne idem ſæpius cõfitetur? Omnes inquit, veteres Auguſtino tantum excepto liberum arbitrium extulerũt. Proinde ſe huius ſententiam ſecuturum. Ita cùm noſtra oppugnat, quæ toti antiquitati cõſentanea confitetur: omnibus antiquis Patribus haud obſcurè bellũ indicit. Quid opus eſt verbis? Auguſtini ſententiam ſe ſecuturum eſſe dicit, ſed hæretica fide. Hanc enim paulo poſt ſtudioſiſſimè oppugnat. Longum eſſet omnia enumerare, in quibus ab iſtis damnatur antiquitas: quam aduerſarij ab Eccleſiæ naſcentis exordio, vſque ad noſtrum ſæculum erraſſe contẽdunt. Quanti autem momenti ſit argumentum ex antiquitate doctrinæ ductum, hinc intelligi poteſt: quod nemo prudens Rom. Eccleſiam aliaſque illi adhærentes toto terrarũ orbe diffuſas, ab Apoſtolorũ temporibus vſq; ad noſtram ætatem, in articulis fidei, grauiſſimiſq; rebus erraſſe, ſibi facile perſuadere poteſt. Itaque Theodoſius Aug. iure laudatur, quod variarum ſectarum maximeque Arianorum Principes iuſſerit cõuenire: ex quibus cùm quæſiuiſſet, an illi antiquos Patres, qui ante diſsidium, quod tum de religione ortum

Ita & Caluinus lib. Inſtitut. 2. cap 2.

Argumentum ab antiquitate ductum, maximi momenti.

Sozomen. lib. 2. ca. 2.

erat, Ecclesiam rexerant, rectè de Christiana fide sensisse arbitrarentur, illique rem ita se habere concederent: examinemus igitur, inquit, vestrum doctrinæ genus ad eorum scripta, quæ tanquam fidei suæ testimonia posteris reliquerunt:& si cum illis consenserint, retineantur; sin minus, abijciantur. Aduersus istos, qui se solos sapere existimant, omnes autem antiquos errasse contendunt, argutè Tertullianus, vt omnia: Age, inquit, nunc omnes Ecclesiæ errauerint, nullam respexerit spiritus sanctus, vti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de patre, vt esset doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat. Et quid? Verisimile est vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint? Audeat ergo aliquis dicere, errasse eos, qui tradiderunt? Quoquo modo sit erratum, tam diu vtique errauit error, quã diu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas & Valentinianos, nostro autem sæculo, Lutheranos aut Caluinistas liberanda veritas expectabat. Sed isti modò de Aesopi puteo prodeuntes, statim clamant.

li. de præscript.

Proinde, vt rectè ait Augustinus, illa consuetudo, quam homines sursum versus respicientes, non videbant, à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur. Itaq; quod vniuersa tenet Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, nec Concilijs institutũ, sed semper

li. 4. de baptismo, cõtra Donatistas.

per

per retentum eſt:non niſi Apoſtolica auctoritate traditum, rectiſsimè creditur. Huiuſcemodi ſunt omnia dogmata, quæ aduerſus hæreticos adhuc retinet ſancta mater Eccleſia, quod ipſi in plurimis negare nõ poſſunt.Itaq; hæc eſt antiquiſsima fides ab Apoſtolis tradita.Ridiculũ autẽ eſt; quod ex aduerſarijs Tilmannus quidã Heſſuſius librũ ſcripſit,de ſexcentis erroribus Papiſtarum. At illæ hæreſes, exceptis mendacijs, aut ſunt antiquiſsima Eccleſiæ dogmata, patrumque ſententiæ, à quibus ille diſſentit,quemadmodum ex ipſis aduerſariorum centurijs facile doceri poteſt, qui huiuſcemodi dogmata in Patribus næuos, in nobis hæreſes dicunt: aut varię veterum hæreticorum damnatæque ſententiæ, quas hoc ſæculo non noſtri,ſed aduerſarij, quemadmodum inferius planum faciam, ab inferis excitare conantur,quas nobis Tilmannus affingit: aut diuerſæ Patrum Scholaſticorumque ſententiæ, quæ non ad fidei regulam pertinent, ſed in doctorum hominum opinionibus controuerſijſque verſantur. Hoc argumenti genus ab antiquitate ductum, apud Patres tanti fuit,vt eo ſolo ad demonſtrandam veram Eccleſiã,nihil efficacius videretur.Proinde Tertullianus, hæreticorum ſui ſæculi nouitatem exagitans; Quinam,inquit,eſtis vos? Vnde & quando veniſtis? vbi tam diu latuiſtis? Tarde mihi, inquit Hilarius, hos pijſsimos doctores ætas huius ſæculi protulit. ſero hos habuit fides in Eccleſia,quã ô Domine erudiſti magiſtros.

Tilmãnus Heſſuſius ridiculus.

li.de præſcript.

lib. 6. de trinitate.

Epist. ad Pamach & Oceanũ

ſtros. Inauditis ergo his omnibus, in te credi-
di. Ita Hieronymus: Quiſquis, inquit, aſſertor
es nouorũ dogmatum, quæſo te, vt parcas Ro-
manis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtolico
ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos
docere nos niteris, quod ante neſciuimus? Vſ-
que in hanc diem ſine veſtra doctrina Chri-
ſtianus mundus fuit. Ex quo nouatores iſtos
poſt mille quingentos annos ſero veniſſe, per-
ſpicuum eſt.

In præfat. instit. Caluini mendaciũ.

Sed Caluinus, ne quid malorũ deſit, ſuum
doctrinæ genus vetus nõ nouum, ſuamq; Ec-
cleſiam antiquiſsimam eſſe, multis tamen ſæ-
culis, neſcio vbi deliteſcentem, nunc tandem
ex illis tenebris erumpentem, apparuiſſe con-
tendit. At quemadmodum Auguſtinus olim
in Donatiſtas agens, ſic argumentabatur: Aut
iſta Eccleſia, quæ nunc tandem apparuit, antè
perierat, & nunc reuixit: aut non perierat, ſed
tantùm latuerat, & nunc fortaſſe tanquam ex
antrò Trophonij, in lucem erupit. Si perijt,
vnde ergo Donatus apparuit? de qua terra
germinauit? ex quo mari emerſit? de quo cœ-
lo cecidit? Si non perierat, ſed tantùm latebat:
aut fidem ſuam profitebatur, aut non. Si profi-
tebatur, non latebat: ſin minus, nulla erat. Ita
nunc ab aduerſarijs quæro: Si mater perierat,
vnde Caluinus apparuit? Si inuiſibilis inter
Platonis ideas latebat Eccleſia, tamen fidẽ ſuã
profitebatur; non latebat, ſed eius aliquod ex-
titiſſe veſtigium, neceſſe eſt. Certe ante Cal-
uinum, nullũ in toto terrarũ orbe Caluiniſtã:
ante

Li. 3. de baptiſmo, c. 2

Christi Eccleſiam latere non poſſe.

ante Lutherum, nullum Lutheri diſcipulum vſquam fuiſſe, perſpicuum eſt. Quod ſi ex aduerſariorum ſententia, cõfeſsio fidei, veræ Eccleſiæ nota eſt: Ore enim confeſsio fit ad ſalutẽ; vbi confeſsio fidei non fuit, Eccleſia eſſe non potuit. Sed forte iſti fideles ita latebant, vt inquiſitorum metu, qui in Germania Galliaque ante Lutheri tempora fuerunt, labra diuidere non auderent. Qui igitur factum eſt, vt apparentibus nouorum dogmatum anteſignanis, ad illos iſtorum latentium nullus accurreret? Quis vnquam factus eſt Lutheranus, niſi à Luthero, aut à ſuis antè deceptus? Quis iſtorum latentium in Caluini verba iurauit? Quid opus eſt verbis, in ea re, quæ non tenebris inuoluta, ſed adeò clara eſt, vt nihil magis perſpicuum eſſe poſsit? Sed aduerſarios nimiũ vrgemus. Proinde fingamus eos aliquid dicere. Quid igitur erit Eccleſia miſerius? quid calamitoſius? Ipſæ hæreticorum ſectæ ſemper in aliqua luce verſatæ, ſua vel templa, vel conciliabula frequentarunt: certiſque ceremonijs inter ſe nexæ, aliquo fœdere ſociatæ & colligatæ fuerunt. Iudæi quoq; poſt euerſam Hieroſolymam, templumq́; illud, quod olim fulgebat auguſtius vaſtatum & incenſum, quandam in ſuis ſynagogis, antiquæ religionis iam abolitæ, in multis orientis & occidentis regnis atq; prouincijs imaginem adhuc retinent. Et tu Eccleſiam, in vertice montium poſitam, vt ab omnibus videri poſsit; per mille annos, nulla templa, nulla ſacra, nullam ceremoniã,

Rom. 10.

Eccleſia ſi lateret, hæreticis & Iudæis eſſet miſerior.

Eſai. 2. Micheæ 4.

nullum Episcopum habuisse, sed nescio quibus in antris ita latuisse contendes, vt tot sæculis nullum eius vestigium apparuerit? Si non ad homines, sed ad fungos hæc haberetur oratio, mendacium ni fallor erubesceret, ac tandem sua sponte vanesceret. Proinde aduersarij non Ecclesiæ nobis antiquitatem eripiunt: sed dum eam suæ nouitati accommodare conantur, non ad veritatis lumen accedunt, sed densissimis mendaciorum tenebris inuoluuntur.

Christi doctrina à quibus initio propagata.

At forte hoc doctrinæ genus à summis viris eruditione doctrinaque præstantibus initio propagatum, à potentissimis regibus susceptum cultumque fuit, ideoque tot sæculis mãsit immobile. Imò verò ab idiotis ac piscatoribus prædicatum, vt allatum datumque diuinitus, non in humanæ sapientiæ verbis, vt ait Apostolus, sed in ostensione spiritus radicatum, ad hæc incrementa peruenit. Mirabantur Iudæi, Apostolos homines indoctos καὶ ἀγραμμάτους, tanto fructu tantaq; efficacia prædicare. An forte pecuniosi erant ac potẽtes, vt orbi nouũ doctrinæ genus, opibus ac potentia persuasisse videantur? Atqui pauperes, cõtempti, inermes, tanquam oues inter lupos, in mille periculis versabantur. At plana, facilia, iucunda erant, quæ docebant, & humanis sensibus blandiebantur. Imò difficilia, horrida, aspera, humanæ mentis aciem longe superantia, vt Deum trinum & vnum, crucifixum hominem Deum esse, ab eoq; petenda bona omnia, feren-

1 Corin. 2.

Act. 4.

Quàm difficilis.

ferendā crucē, voluptatibus reluctandū, damna, contumelias, ipſamq́; mortem pro ſuſcepta fide, ęquo animo ſuſtinenda. Natura comparatum eſt, vt quæ vulgò laudantur, ea laudabilia & omnibus amplectenda: contrà quæ vituperantur, ea omnibus fugienda eſſe videantur. Quid quod hoc doctrinæ genus vſque adeò difficile ac horridum, à potentiſsimis regibus tāto ſtudio tribus ſæculis oppugnatū, vt acriore non poſſet, diuina protectione tutū expugnari non potuit? Quis enumeret ſuppliciorum ac ſæuitiæ genera, quæ in Dei ſeruos ac pios excogitauit impietas? Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq́; centum, Ferrea vox, omnes ceſorum dicere formas, Omnia pœnarū percurrere nomina poſsim. Sed Eccleſia Dei protectione ſecura, perſecutionibus creuit: vt quod in vineis eſt putatio, hoc in Eccleſia, tot martyrum cædes fuiſſe videantur. Non minuitur ait D. Leo P. perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dū grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur. Tanta Dei potentia, tanta vis eſt. Illud autem præterire nō debeo, quod à plæriſq; noſtrorū animaduerſum eſt, in Eccleſiæ naſcentis exordio, per trecentos annos, nullum alicuius nominis ac potentiæ principem, ad Chriſtum eſſe conuerſum, idq́; ſingulari Dei prouidentia cōtigiſſe, vt perſpicuum eſſet, hoc inſtitutum eſſe diuinum, cuius propagationis negocium, ſibi Deus toto mundo repugnante ſumſiſſet.

Quām variè oppugnata, expugnari tamen non poteſt.

Serm. 1. de SS. Petro & Paulo.

Ecclesiæ amplitudo

Venio ad Ecclesiæ Catholicæ, non in hac illáue prouincia, sed toto terrarum orbe diffusæ amplitudinem, quæ à Prophetis post Christum futura prædicitur: Dabo tibi, inquit, gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Dominabitur à mari vsque ad mare, Et à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Et à Daniele, cùm ait, lapidem à monte præcisam, totum orbem impleuisse. Id quoque docuit Christus, prædicandum Euangeliũ in omnes gẽtes, ab Hierosolymis initio facto. Nullam autem Philosophorũ sectam, aut hæresim quantumuis plausibilẽ ac sensibus blandientem, in omnes orbis terræ partes atque prouincias penetrasse, perspicuum est. Sed hęc vt ab hominibus excogitata, certis limitibus continentur. Id ex Athanasio, Theodoreto, alijsq; manifestum est. Impium Mahumeti Alcoranum voluptatũ omnium parentẽ, Arabes primũ, hinc Mauri vi & armis in multas Asiæ Africæq; prouincias induxerunt, sed illa perfidia cum omnium flagitiorum ac facinorũ licentia, impiè nefarieq; coniuncta, in Europã penetrare non potuit. Occupauerat quidem superioribus sæculis magnam Hispaniæ partẽ: sed in Hispanorũ animos non peruenit. Proinde vi & armis in Hispaniam inuecta, ijsdem artibus pulsa est. Hodiernæ autẽ hæreses nunquam Asiam aut Africam attigerunt, quanquã aduersarij id sępe tentarunt: sed in Europę exigua parte conclusæ, paulatim senescunt & intereunt. Ex quo intelligitur aduersariorũ insigne

Psal. 2. & 72.

Daniel. 2.

luc. 24.

Act. 1.

lib. de humanit. verbi.

li. de legib. ad græcos.

Hæreses parum crescunt, ac tandẽ intereant.

ſigne mendacium, quo ſuam Auguſtanã cõfeſſionem toto terrarũ orbe crebreſcere, atq; in ore omnium eſſe cœpiſſe, thraſonice gloriantur. At ex tribus orbis terræ partibus, duæ maiores, Aſia & Africa, ne nomen quidem huius confeſsionis vnquã audierunt: in Europa verò multæ claræq́; prouinciȩ, vt Grȩcia, Italia, Hiſpania vel neſciũt, quid ſit Auguſtana cõfeſsio, vel hanc execrantur ac reſpuũt. Quid de Gallia, Heluetia, Britannia, quam nunc Angliam vocant, ipſaq; Germania dicã, in qua nulla eſt ciuitas, nulla fere domus, quæ ab vna aliqua ſecta, tota teneatur. Pugnant inter ſe aduerſarij acrius, quàm nobiſcũ, in quibus, vt ait Propheta, miſcuit Dominus ſpiritum erroris atq; vertiginis. Concurrere, inquit, faciam Aegyptios aduerſus Aegyptios, Hæreticorum bellũ, Eccleſiæ pax eſt. Scitum illud eſt Auguſtini: Eccleſiam eſſe vbique, & hȩreſim vbique. hæreſes autẽ non eaſdem, ſed diuerſiſsimas, quæ ſe inuicẽ non nouerunt, & proinde nullã earũ eſſe Catholicam. Itaq; præciſis ſarmentis recte cõparantur, quæ vbi cadunt, cùm præcidũtur, ibi manẽt: cùm interim Eccleſia, vt viua vitis, palmites ſuos toto terrarum orbe diffundat. Hæc enim ſola circũlatrantibus hȩreticis canibus, ab ipſis Apoſtolorũ temporibus, pene totũ orbẽ occupauit, quã aduerſarij nũc ſenuiſſe dicunt: ſed Dei beneficio, vt aquilæ renouatur eius iuuentus, quemadmodum inferius oſtendemus. Hæc igitur Hirenæi & Tertulliani ſæculo magnam orbis partem impleuerat, vt ex

In præfat. concordiæ Lutheran. anno 158.

Hæretico-rum mendacium.

Eſai. 19.

lib. de paſtorib. c. 8.

Hiren. li. 1 cõtra hær. cap. 3. Tertull. in apologet.

eorum libris perſpicuum eſt.

Cypr. li. de vnit. Eccl.

Quid ſequentibus ſæculis, eoque maximè quo floruit Cyprianus: nónne ita iā creuerat, vt multo plures prouincias occuparet? Quid poſterioribus? An non hæc Eccleſia, vt ait B. Leo Romam alloquens, per ſacram Petri ſedē caput orbis effecta, latius præſidebat religione diuina, quàm dominatione terrena? Itaque minus eſt, inquit, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit. Hæc ita ſe habere, ipſi aduerſarij negare non poſſunt. Quid magni Gregorij ſæculo? Nónne is ad Epiſcopos Orientis, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Siciliæ, de communione fidei literas ſcripſit? Bedæ, Bernardi, aliorumq́ue ſummorum virorum teſtimonijs, illorum ſæculo pene totum orbem à Catholica Eccleſia occupatum fuiſſe, manifeſtum eſt. Omitto quod in hac mundi ſenectute hac Eccleſia toto terrarū orbe diffuſa, pauci in tota Italia, nulli in Hiſpania, Aſia, Africa, nouo orbe inueniuntur hæretici, quales è Saxonia aut Geneua, tanquam ex equo Troiano, noſtra patrúmue memoria prodierunt. Qui neque in Germania, neq; in Gallia creſcūt, ſed paulatim aut ad matris Eccleſiæ gremium Dei beneficio redeunt, aut in aliarum hæreſum vel atheiſmi barathrum deuoluti, Chriſtianorum nomen amittunt. Eſt enim hæreſis omni cothurno verſatilior, neq; diu in vna eademq; ſententia perſeuerat. Contrà veritas ſtabilis & conſtans, vt ait regius vates, manet in æternum. Scitum eſt illud Zoroba-

Serm. 1 de SS. Petro & Paulo.

In Cantic. cap 6.

Hæretici reſpectu Catholicorum pauciſſimi.

hæreſis cothurno verſatilior.

robabelis apophthegma; Forte quidem eſt vinum,fortis eſt rex ; at fortiores mulieres. ſuper omnia verò vincit veritas.Quæ poſtrema ſententia,omnium etiam Perſarum,qui tum à vera religione abhorrebant, iudicio comprobata eſt. Ex lingua ſancta veritatis ſtabilitas, quodam myſterio,ipſiſq; literarũ apicibus deſignatur. Trib.enim literis ſcribitur אמת quæ ad quãdam quadraturam accedunt. Quarum prima in Alphabeto Hebraico primum locum obtinet,ſecũda fere medium, tertia eſt vltima: vt intelligatur, veritatem medij cum principio & fine conſenſionem eſſe.Chriſtus eſt medius,Et qui præibãt, & qui ſequebãtur, omnes clamabãt,Oſanna. Eadẽ enim eſt fides antiquorum & noſtra. Contrà in eadẽ lingua, mendacium שקר quibuſdã incuruis & inconſtantibus literis figuratur:vt intelligi poſſit,claudos ac debiles pedes eſſe mẽdacio,proinde illud diu ſtare non poſſe. Ita Catholica veritas toto terrarum orbe diffuſa,ſtat & manet : hæreticorum autem mendacia non conſiſtunt,ſed à veritate ſuperata vaneſcunt.

3.Eſd. 3.4.

Contrà veritas ſtabilis.

Matth. 21.

Mendacio pedes claudi ac debiles.

Dicet aliquis:Num igitur neceſſe eſt,à Catholica Eccleſia , ſimul omnes totius orbis prouincias occupari,vt hæc omnes ſectas amplitudine credentiumque multitudine ſuperare videatur?Minime verò. Nam cùm Chriſtus multorum populorum defectionẽ à vera fide ac religione proſpiciens,dixerit: Putáſne filius hominis veniens,inueniet fidem in terra? Satis eſt, ſi ſucceſsiuè & gradatim id fiat,

luc. 18.

ita

ita tamen vt illud doctrinę genus,quod in hac illáue prouincia colitur, cum eo quod in cæteris retinetur,aptè conueniat. Quæ cùm ita sint,etiamsi integræ quędam prouincię ab hæreticis tenerentur:illud tamen constat,easdem à Catholicis,qui Romanę Ecclesię fidem profitebantur, occupatas, eoque tempore nullum aut Lutheranum aut Caluinistam, ijs in locis fuisse. Nisi forte ante Caluinum aliquis Caluinista,ante Lutherũ aliquis Lutheranus fuit: & illud nouum doctrinæ genus, antequam ab istis impie excogitaretur,extiterit. Rectè igitur Augustinus:Tenet me,inquit,in Ecclesia,à sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit,vsque ad præsentem Episcopatum succesśio sacerdotum. Ecclesia enim sine pastoribus & Episcopis esse nõ potest.Proinde Hieronymus:Ecclesia,inquit,nõ est,quæ nõ habet sacerdotes. Hinc Apostolus: Ipse dedit quosdam quidem Apostolos,quosdam autem Prophetas,alios pastores & doctores,ad consummationem sanctorum,in ædificationem corporis Christi,donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei & agnitionis filij Dei. Pastores igitur in Ecclesia Christiana vsq; ad sæculi finem futuri sunt.Episcopos autem hos esse pastores nõ obscurè docet Apostolus: Attendite vobis,inquit,& vniuerso gregi,in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Quod neque Lutherus negat, quin potius inter Ecclesiæ notas recenset, veros habere pastores.Consequẽs est igitur,eam

Contra epist.fund. cap.4.

Dialogo cõtra luciferia.

Ephes.4.

Ecclesia nõ est,quæ non habet sacerdotes

Act.20.

non

non esse veram Ecclesiam, quæ aut nullos, aut non veros pastores habet. Illos autem solos in Ecclesia veros Episcopos, qui ab Apostolis per legitimam successionem & ordinationem descenderint, semper habitos esse, manifestũ est. Omnes autem alios, qui nõ per ostium intrassent, sed ascendissent aliunde, fures & latrones esse, Christus ipse pronunciat. Qui duodecim tantùm Apostolos primùm elegit: à quibus exinde sacerdotes & Episcopos institutos esse, perspicuum est. Vt autem aliquis Episcopus ab Apostolis legitimè descendere intelligatur, duo sunt necessaria. Vnum est successio, alterum ordinatio. Isti igitur, qui neutrum habẽt, non pastores, sed lupi dicendi sunt. Lutherus enim cui successit, aut à quo ordinatus est? De Caluino idem habeo dicere. Sed vt de Nouatianis olim Cyprianus scriptum reliquit: Hi sunt, inquit, qui se vltro apud temerarios conuenas, sine diuina dispositione præficiunt: qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt. Quid ab huiuscemodi lupis aliud expectandũ est, nisi vt oues Christi rapiant atque dispergant, deinde alios sibi similes generent? Natura comparatũ est, vt omnia sibi similia producant. Ex hominibus homines, ex leonibus leones, ex equis equi, serpentes ex serpẽtibus, ex monstris monstra nascuntur. Ita boni quantum in illis est, bonos faciunt, docti doctos, Philosophi Philosophos. Improbi autem improbos, mali malos,

Ioan. 10.

lib. de simplicit. Prælat.

Dei & Ecclesiæ contemtores, omnes alios sibi similes esse cupiant. Ita fit, vt illi lupi omne impietatis genus doceant, ac fallente mendacio, veritatem vbicumque possunt, adulterare conentur.

Ecclesia Catholica sola sancta

At non ita mater Ecclesia: quam in Constantinopolitano concilio non solùm vnam, Catholicam, Apostolicam, sed etiam sanctam Patres esse definiunt. Nihil ea sanctius. Professio eius est sancta, propterea quod nihil, quod ad fidei doctrinam spectat, falsum cõtinet: nihil quod ad mores pertinet, tradit iniustum.

Reliquæ sectæ quã mendaces & impuræ

Reliquæ sectæ siue gentiliũ, siue Philosophorum etiam eorum, qui integerrimi videntur, siue Iudæorum, siue Turcarũ, siue quorumlibet hæreticorum, exploratos errores docent, rectæ rationi repugnantes atque contrarios:

Psalm. 18.

Sola lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, prçceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Quæ cùm ab illo veritatis fonte Ecclesia mater hauserit, nihil aliud docere potest, nisi traditum propinatumq́ue diuinitus. Reliquæ sectæ, quàm absurda, quàm falsa, cum ipsaque ratione pugnantia multa tradiderint, paucis verbis exprimi non potest, sed tamen propter istos, qui vel gentiliũ

gentilium secta.

Philosophis vel nouatoribus fauent, rem pluribus exponamus, necesse est. Gentiles de dijs suis quàm absurda, turpia, nefaria senserint, nemo literis tinctus ignorat. Certè vt Græcos

omittam,

omittam. Minutius Felix in Octauio, Arnobius, Lactantius, Augustinus aduersus gentes, tam multis verbis docent, vt nihil addi posse videatur. Inter Philosophos autem, quid iuxta istorum opinionem atque sententiam, Platone diuinius? Atqui hic talis ac tantus, in legibus, quæ à nonnullis optimæ iudicantur: maxima vicia, vt vxorum communionem παιδεραστίαν nefandæ libidinis genus, extinctionem conceptuum, cædes infantium, aliaque non peccata, sed portēta sic laudat ac prædicat: vt criminū patronus esse videatur. Quid Lycurgus? Nōne adulteria lege permisit? Persarum legibus incæstæ cum matribus, filiabus, sororibus nuptiæ permittūtur. Massagetæ morituros ac senes à propinquis deuorari, pium obsonij genus arbitrantur. Legibus Tibarenorum, senes ex altis turribus deijci fas erat. Hircanorum legibus, hominum caduera canibus proijci: Scytharum cum mortuis sepeliri viuos, qui ab ijs potissimum dilecti fuerant. quod apud Indos etiam hoc tempore pium sepulturæ genus creditur.

De ciuit. Dei lib 7.

Philosophorum Plato quā turpia doceat.

Theodor. de legibus ad græcos, lib. nono. Euseb. de præpar. Euang.

Quid Iudæi Christiani nominis inimici? nōne in suo Talmud, quod pro verbo Dei nō scripto apud illos habetur, innumerabiles docent ac profitentur errores? Et vt de multis pauca perstringam, R. Salomon, quem Iudæi optimum diuinæ legis interpretem esse dicunt, illum exponens locum: Hoc nunc os ex ossibus meis, in cōmentarijs scriptū reliquit, Adamū à Deo conditū statim cum omnibus

Iudæorum falsa & impura doctrina.

genes. 2.

bestijs ac pecudibus coiuisse, nec antè libidiné explere potuisse, quàm ad Euæ peruenit amplexus? Idem in Numeris, locum vbi nos legimus: In Calendis autem offeretis holocaustum Domino, ita exponit, vt primũ ille holocaustum Domini non Domino, legendum, Adonai nomen genitiui casus esse contendat, deinde vt in Calendis siue nouilunio holocaustum pro ipsius Dei peccato, quod tũ admisit, cùm lumẽ Lunæ minuit, offeratur, præceptum esse dicat. Idem alibi: Adamum adeò procerum fuisse dicit, vt capite cœlum tangeret, dum staret in terra. Longum esset cæteras Iudæorum fabulas ac deliramentorũ portenta recitare. Mahumetani, ex Alcorano, omnes cuiuscunque religionis sint, Christianos, Turcas, Iudæos, si leges suas seruent, saluari posse contendunt: futuræque vitæ beatitudinem in cibo, potu, vxorũ multitudine & amplexibus, sitam esse dicunt, vt nihil sit, quo differamus à bestijs. Proinde minimè mirum, si huiuscemodi secta, Epicuri de grege porcis, nihil videatur esse iucundius. Porrò actionum spiritualium aut amoris Dei nulla fit mentio. Sed inter multa ridicula & absurda in Alcorano est, Deum & Angelos orare pro Mahumeto.

Cap. 28.

In Deuter. cap. 4.

Mahumetani vt porci.

Venio ad veteres hæreticos, ne in istos nouos tantũ declamare videar. Gnostici scortationes frequentandas, omnisq; libidinis genus exercendum esse dicebant, conceptũ tamé vitádum, qui si forte sequeretur, de prægnantis vtero extractum & cótusum in mortario, quod

Veteres hæretici. Epiphan. hæresi 27. gnostici.

quòd dictu quoque nefas est, ac melle & pipere conditum, auidè deuorabant, eoque modo se magnū pascha celebrare dicebant. Carpocratiani (vt idem Epiphanius refert) vnumquemque teneri ad omnium scelerum ac flagitiorum genera perpetranda, Et si quis non perpetratis omnibus esset mortuus, eius animā in corpus remitti, idq́; toties, donec scelerum mēsuram impleret: istoq́; modo illum Euangelij locum; Non exibis inde, donec reddideris nouissimum quadrantem, exponendum esse dicebant. Montanistæ sacrificium ex sanguine anniculi infantis efficiebant, quē minutis vulneribus, æreis aciculis totum incredibili crudelitate exprimebant. Manichæi præcidere ramum de arbore & hominem interficere, æquale peccatum esse dicebant, diuinæque essentiæ partes à principibus tenebrarum teneri captiuas, & ex ijs aliquas liberari, alias in æternum esse damnandas. Donatistæ vt seipsos martyres facerent, de altissimis montibus ipsi se præcipitabant, aut aquis præfocabant, aut in ignem conijciebant, aut mortem minabantur & sæpius inferebant ei, qui illos noluisset occidere. Ita viuebant vt latrones, à suis post eiusmodi mortem, honorabantur vt martyres. Sed omittamus istorum insaniam, quorum & furores quondam orbi fabulam præbuerunt, & sacrilegia Christianum nomen exosum, apud gentiles primis fidei sæculis reddiderunt.

Carpocratiani.

Augustin. hæresi 26.

Mōtanistæ

Idem hæresi 46.

Manichæi.

Idē epist. 50.

Theodor. de hæres. fabulis li. 4

Longe humaniores nostri sæculi hæretici, qui

Hæreticorum sæculi nostri humanitas

qui non in illo turpitudinis, cum incredibili immanitate sæuitiaque coniunctæ, cœno volutantur; sed quoddam humanæ salutis compendium, sublatis illis austerioris vitæ salebris excogitarunt. Docent enim omnem hominem iustificari sola fide speciali, qua quisque certò credit, sibique persuadet, se coram Deo iustum esse, Nihil opus esse ieiunijs, nihil pœnitentia, nihil bonis operibus. Quid eo doctrinæ genere potest esse iucundius? Sed fugite, ô pueri, latet anguis in herba. Non est huius loci, contra stultum atque impium dogma, rhetoricum iactare sermonem, quod ante nos multi eruditione doctrinaque præstantes sæpe fecerunt: sed hoc tantùm in præsentia dicam, illud quod nimium credulis tanto supercilio ab aduersarijs tanquam Dei verbum obtruditur, adeò incredibile esse, vt ab hoc vno omnia omnium sæculorum paradoxa superentur. Nam cùm aliquis incipit credere, se iustum esse; aut iustus est, aut iniustus. Si iustus est, igitur per eam fidem, quæ illius iustitia posterior est, iustus efficitur. Si iniustus: illa fides falsa est. Proinde non est fides diuina iustificans. Nisi forte iustitiæ causa, mendacium esse dicatur. Quid igitur potest magis cum ratione pugnare? Ad hæc omnes Lutherani spiritum precum & inuocationé maximè extollunt. Atqui hæc fides Dominicam orationem funditus tollit. Nam si certò credo, me nullú habere peccatum, mentior si cũ ista fide dico: Dimitte nobis debita nostra. Quid? An nó Lutherani,

Eorum doctrinæ iucunditas.

fides specialis omnia paradoxa vincit.

therani, Confeſsioniſtæ, Caluiniſtæ Anabaptiſtas iure condemnant, illoſq; niſi reſipiſcant, neq; iuſtificari neq; ſaluari poſſe pronunciāt? Sed ab Anabaptiſtis iſtā ſpecialem fidem coli tenerique perſpicuum eſt. Proinde illi iuxta aduerſariorum ſententiam, & iuſti ſunt, & iniuſti. Quid παραδοξότερον dici poteſt? At cùm omnium hæreticorum ſæculi noſtri, hoc adeò paradoxum, ſit commune dogma: ſunt & alia in ſingulis ſectis non minus impura. Anabaptiſtæ nocturna conuenticula exercentes, caninas agunt nuptias, extinctiſque luminibus ad illam parænesim ex magiſtrorum ſuorum impuro ore prolatam: Creſcite & multiplicamini, non ſolùm in omni libidinis cœno volutātur: ſed etiam pater cum filia, cum ſorore frater, cum ſocero nurus, veneris glutino copulatur. Omitto quod illi palam docent, licere fratri germanam ſororem in vxorem accipere. Quam execrandam impiamq; ſententiam, ex ipſo ſcripturę diuinæ clariſsimo fonte hauſtam eſſe contendunt. Ioan. Cochlæus in articulis cōtra Anabaptiſtas. Idē artic. 19.

Quid Lutherani? Nónne infantes, dum baptizātur, ratione vti, audire Dei verbū, credere, imò Deum creatorē amare pronūciant? vt Auguſtinus totaque Eccleſia tantum arcanum mille quingentis annis ignoraſſe videatur. Caluiniſtæ vt liberum auferant arbitrium, illam impiam ac rationi repugnantem docēt tuenturque ſententiam: omnia abſoluta neceſsitate euenire, Deumq; peccatorū omniū, flagitiorū, criminū eſſe cauſam. A qua Luthe- in Synodo VVittembergenſi anno Domini 1536 epiſt. ad Darda. 57. Caluiniſtæ

rani, qui prius idem ſentiebant, iam meritò receſſerunt. Longum eſſet omnes aduerſariorum abſurdas, impuras, rationi repugnantes referre ſententias: quas ſi ſingulas enumerare conarer, dies me citius, quàm oratio deficeret.

At Eccleſia noſta Catholica nullum errorē, nullam turpitudinem, nihil contra rectam rationem docet. Multa ſunt, fateor, quæ humanę mentis aciem ſuperant. Deus enim cùm non poſsit humanis ſenſibus æſtimari: rectæ rationi conſentaneū eſt, vt de illius maieſtate multa credamus, quæ humano intellectu capi nequeūt. Proinde hæc Eccleſia ſola ſancta eſt, eique ſoli cōuenit, quod in ſymbolo dicimus: Credo Sanctam Eccleſiam. Quod aduerſus circumlatrantes cùm gentilium, tum hæreticorum canes à noſtris ſępius demonſtratū eſt. Primum a Iuſtino in vtraque apologia, Tertulliano, Minutio Felice, in Octauio, Ambroſio contra gentes, Auguſtino in libris de ciuitate Dei, deinde accuratiſsimè à Beato Thoma Aquinate, Cardinali Hoſio, Bellarmino Politiano, aliiſque noſtra memoria, qui pro fidei noſtræ confirmatione, multa ſcripſēre diuinitus. Nihil ergo, vt ait Auguſtinus, in Chriſtianis Eccleſijs turpe & flagitioſum ſpectandum imitandumque proponitur, vbi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur. Et alibi: Perſuadetur veritas noua conſuetudini, ſed non contraria rationi.

Deus intelligi nō potest.

In apolog. 36. libr. 1. & 3 lib. contra gentes.

2. de ciuit. Dei cap. 28

Ibidem li. 22. cap. 7.

Veniamus ad diuina miracula, quibus fides

Catholica mirificè confirmatur. Qua in re, duo animaduertenda sunt. Primùm quod miracula ad nouam fidem confirmandam, aut extraordinariam misionem persuadendam, sunt necessaria. Alterum, quod sunt efficacia & per se sufficientia. Ex hoc veram Dei Ecclesiam apud nos esse: ex illo apud aduersarios esse non posse, demonstrabimus. Igitur necessaria esse miracula, perspicuum est. Moses cùm à Deo ad populum mitteretur, ac diceret: Non credent mihi, nec audient vocem meam; non respondit Deus: oportet eos credere, velint, nolint: sed illi præter ordinem rationemque naturæ, suam misionem esse diuinam, miraculis comprobandi auctoritatem dedit. Vt credãt, inquit, quod apparuerit tibi Dominus. & quæ sequuntur: Moses itaque cùm illa diuinitus signa fécisset: tum demum ei credidit populus. Adeò ne ipsi quidem Mosi credendum erat, nisi is à Deo se missum esse docuisset. Venio ad noui Testamenti lucem. Christus discipulos ad prędicandum mittens: Euntes, inquit, prædicate dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, demones eijcite. Nimirum vt his signis, ad Euangelium prædicandum, se probarent missos esse diuinitus. Quid ipse Christus? Nónne Iudæos incredulos, nisi suum docendi genus miraculis confirmasset, excusabiles esse pronunciat? Si opera non fecissem, inquit, inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et

Miracula quando necessaria.

Exod. 4.

Matth. 10.

Ioan. 15.

quæ ſequuntur. Quę cùm ita ſint, non ſatis eſt, ſi quis ſe à Deo miſſum eſſe dicat: cũ hoc omnis hæreticus aſſeueret: ſed illam inuiſibilem miſsionẽ, per operationẽ miraculi, aut ſpeciale ſcripturæ ſacræ teſtimoniũ probari neceſſe eſt. Moſes in Aegyptum à Deo miſſus, ſignum accepit, vt conuerteret virgam in colubrum, & virgam iterum reformaret. Ioannes Baptiſta ſpeciale ſuæ miſsionis teſtimoniũ de ſcriptura protulit, dicens: Ego vox clamantis in deſerto, ſicut dixit Eſaias Propheta. Qui cito credit, leuis corde eſt.

Eccl.19.

Proinde Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius AAA. reſcripſerunt: Siquis adſerat, ſe cum mandatis noſtris ſecretis, veniſſe, omnes ſciant, nemini quicquã, niſi quod ſcriptis probauerit, eſſe credendum, nec vllius dignitate terreri, qualemcunque præferat dignitatem, ſed ſacras noſtras literas eſſe quærendas. Quod ſi in legatis Principum obſeruandum eſt: in re maioris momenti, nullus eſſe debet leuitati locus. Cùm autem duo ſint miſsionis genera, vnum per ordinarios Prælatos: alterum extraordinariũ à ſolo Deo: quemadmodum is qui ordinariè miſſus eſt à Prælatis, eius literas ſigillo munitas debet oſtendere: ita qui à Deo ſe extraordinariè miſſum eſſe dicit, ſigillum Dei, quod nihil aliud, niſi miraculum eſt, adferre debet. Ita Moſes in veteri lege. ita in noua, Apoſtoli à Chriſto miſsi, prædicauerunt vbique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

lib.1.ca.de mandatis principum

Dei ſigillũ miracula.

Marc.16.

Et

Et alibi: Conteſtante Deo ſignis & virtutibus. Hebr.2.
Proinde miracula erant neceſſaria, vt mundus Deo crederet, ac priſtinum errorem vera religione corrigeret. Miraculum autem teſtimonium eſſe ſufficiens, quod ſecundo loco poſuimus, & vbi ſunt vera miracula, verã eſſe fidem, facile probari poteſt. Vera enim miracula niſi virtute diuina fieri, nullo modo poſſunt. Eſt enim miraculum, quod omniũ creaturarum vires ſuperat, ideoque omnibus creaturis admirabile, in ſcripturis diuinis teſtimonium Dei dicitur. Quæ cùm ita ſint, quod miraculo comprobatur, Dei teſtimonio confirmatur. Deus autem cùm ſit fons ipſius veritatis, non poteſt teſtis eſſe mendacij. Quod igitur miraculo, id eſt, Dei teſtimonio confirmatur, verum ſit, neceſſe eſt.

Fidem eſſe veram, vbi ſunt vera miracula.

Miraculũ Dei teſtimonium.

Dicet aliquis, vera miracula non ſemper ad confirmationem fidei fieri, ſed interdum ad illuſtrandam quorundam hominũ ſanctitatem, quæ alioqui videretur obſcurior. Proinde illorum hominum ſanctitas & integritas diuinitus approbatur. Cùm autem abſque vera fide, neminem ſanctum eſſe poſſe, manifeſtũ ſit: Iuſtus enim ex fide viuit. cuius integritas ac ſanctitas vero miraculo confirmatur: eius quoq; fidẽ cõprobari, perſpicuũ eſt. Hoc igitur fundamento poſito, apud Ethnicos, Turcas, Iudæos, hæreticos, verã fidem eſſe nõ poſſe, facile intelligi poteſt. Nulla enim ſunt apud eos vera miracula. Et tamen ij omnes cũ ab ordinarijs Prælatis miſsi non ſint, nouum Hebr.10.

miracula gentilium qualia. doctrinæ genus prædicant. De gentilibus non est obscurum, à quibus etsi leuia quædam, qualia demonum arte fieri solent, facta esse dicuntur. vt illa quæ vel à Valerio Max. lib. 8. de statuis brutisque loquentibus, de virgine Vestali aquam cribro hauriente: vel à M. Tullio libr. 1. de diuinitat. de augure, qui cotem nouaculâ scidit, magno supercilio referuntur: quæ omnia facillimè à demonibus fieri, & Tertullianus vicinus Apostolicorum temporum, in apolog. c 22.23. & post eum Augustinus ostendit. De ciuitat. Dei lib. 10. cap. 16. A Iudæis autem post Christi resurrectionem nulla miracula esse facta, nec aliquid apud illos huiuscemodi accidisse, perspicuum est. Apud Iudæos nulla miracula. Nam & illud vnum de probatica piscina, quod ab Euangelista refertur, Ioan. 5. interijt: & quicquid olim in synagoga esse poterat laudis & gloriæ, crucifixo ab illis Dei filio, totum ad Ecclesię transijt dignitatem. Mahùmetani autem quibus rationibus ac syllogismis, nisi vi & armis suum Alcoranum orbi, persuadere conantur? Mahumeti signa. Ipse Mahumetus cùm nullo testimonio probare posset, suam legem datam esse diuinitus: miracula Christo, sibi gladium à Deo concessum esse dicebat. Itaque his militaribus signis Asiam & Africam aggressus, magnam eius partē suo subiecit imperio. Falsi prophetæ sua miraculis confirmate conātur. Falsos Prophetas in veteri lege, in noua hæreticos, non semel sed sæpius suæ perfidiæ tenebras miraculorum luce illustrare conatos, spe sua semper frustratos esse perspicuū est. Prophetas Baal ignem è cœlo deducere conantes, 3 Reg. 18. Elias iure ridebat: Clamate, inquit, voce maiore,

iore, Deus enim vester forsitan impeditus est, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur. Quod cùm illi diu frustraq; tentassent: Elias nullo negocio ignem è cœlo, oratione deposuit. Ita Simon Magus coram S.P.Q.R. non solùm mortuum excitare, verùm etiam à demonibus in aëra subleuatus, volare conatus est, vt in cœlum ascendere videretur. Sed quem exitum impia fraus habuerit, notum est. Qui enim Deus haberi volebat, Apostoli Petri oratione victus; ne homo quidẽ habitus est: sed eius insaniam circumstantes iure riserunt. Tertullianus antiquissimus scriptor, Gnosticos sui sæculi hæreticos ita exagitat: Probent, inquit, se nouos Apostolos esse. Solet Christus Apostolis dare virtutem eadẽ signa ædendi, quæ & ipse. Volo igitur & virtutes eorum proferri, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi enim de mortuis viuos faciebant: isti de viuis mortuos faciunt. Ita quondam Circumcelliones Donatistarum plantaria, qui mortem ijs, qui illos interficere noluisset, sæpius inferebant.

Egesip. lib. 5. de excidio Hierosolym. c. 2 sic & hæretici.

li. de præscript.

hæretici Apostolos in peruersum æmulantur.

Cirola quondam Arianorum antistes ambitione cœcus, à Catholicis Episcopis multa miracula fieri videns, quendam suæ factionis hominem ad se vocat, eique persuadẽt datis quinquaginta aureis, vt is se cœcum fingeret, & in platea sedens, manibus supra oculos positis, prætereuntem cum multis comitibus antistitem appellaret, ac lumen quod is fingebat

gregor. Turoné. hist. Francorũ, lib. 2.

Cirolæ Ariani Episcopi miraculum.

amiſſum, Epiſcopi beneficio reciperet. Res non procraſtinátur. Sedens in platea miſer, his verbis Cirolam prætereuntem appellat: Te,inquit,Beatiſsime Cirola, noſtræ religionis antiſtes precor,vt oculis meis manum imponas, tuoque beneficio merear lucem videre,quam perdidi. Tum ad Arianum eius factionis antiſtes acceſsit, manum oculis, quos ſanos arbitrabatur,impoſuit. Secũdùm fidem, inquit,noſtram, qua rectè Deum credimus,aperiantur oculi tui. Vixdum impia verba finierat,cùm illius miſerabilis oculos tantus dolor inuaſit:vt eos digitis comprimeret,ne creparent. Tum exclamare compulſus, in hanc vocem erupit:Væ mihi miſero, quia deceptus ſum à diuinæ legis inimico. Ad Cirolam autem: Ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod tuo dolo perdidi. A vobis Catholici, ſi qui fortè adeſtis,peto,ne deſpiciatis miſerum, ſed velociter ſubuenite pereunti. Nunc enim verè Deum irrideri non poſſe cognoui.Tum Catholici miſericordia moti: Si credis,inquiunt,omnia poſsibilia ſunt credenti. Proinde Catholicæ fidei confeſsione facta,ſanctus Eugenius crucis ſignum ſupra cæci oculos faciẽs, ait: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,quem trinum in eadem æqualitate ac omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui. ſtatimque omni dolore pulſo,is qui paulo ante cœcus fuerat,amiſſum lumen recepit. Tantum ad cœcandum hominem perfidia, tantũ ad illuminandũ fides valuit.Ita Cirolæ Ariani

impia

impia fraus,Deo iudicante detecta est.Ex quo intelligi potest,ab hæreticis excœcari; quos ij illuminare contendunt.Abominatio Domini est omnis illusor. Prouerb. 3

Timotheum Aelurum Eutychianũ ferunt, multis noctibus in habitu nigro per monachorum cellulas circumire solitum, seq; dicentẽ à Deo missum,vt illis significaret, ne Proterio, (is erat sanctus &Catholicus Alexandriæ Episcopus)communicarent,sed pro eo Timotheũ Aelurum Episcopum designarent. Iconomachus quidam in sepulchro clausus, Constantinum Iconomachorum principem, in cœlum laudibus euehebat: vt impia hæresis ex Iudæorum fontibus imò lacunis hausta, mortuorũ responsis confirmata videretur.Dies me deficeret, si omnes veterum hæreticorum dolos enumerare conarer. Ad recentiores veniam.

Theodor. lector li. 1. collectan.

Paul.diacon.rerum Roman. lib. vltim.

Lutherus hæreticorum sæculi nostri antesignanus, cùm se diceret missum esse diuinitus,eique Cochlæus, Eckius, alijque permulti meritò reclamarent: illud duobus miraculis approbare conatus est. Primò ex energumena demonium eijcere volens, ab illo,vt merebatur,acceptus,suo damno intellexit, hæreticos demonibus esse ludibrio. Altero Nesenum quendã in Albi Saxoniæ flumine miserè submersum, nescio quibus immurmurationibus frustra in vitã reuocare tentauit. At Caluinus aliquanto forte felicior,certe prudentior; qui nec sibi rem cum demonibus esse voluit, nec mortuos ab inferis excitare conatus est. Quod

Lutheri duo miracula.

Fride. Staphylus in smidelin.

Cochlæus in act. luther. anno 1523.

Caluini miraculũ.

non

non humanum, ſed planè diuinum opus eſſe, non ignorabat. Itaque aliud & quidem tutius miraculi genus excogitat, quod ob ſui magnitudinem, in multis prouincijs regniſque percrebuit. Brulæus quidam Heduus, cùm rei familiaris anguſtia preſſus, Auguſtoduno, quæ ciuitas ei patria erat, ſe Geneuam cum vxore ac liberis contuliſſet: Caluini gratiam aucupabatur, ab eoque petebat mirum in modum, vt commendati peculij pauperum, cum ſuis particeps haberetur. Ei tanquam illius egregij Bezę ciui, & vt loquuntur, conterraneo, Caluinus pro ſua benignitate, vitæ ſubſidia pollicetur: ſed illi mutua eius opera in magni ponderis negocio, quod ſumma fide celandum eſſet, opus eſſe. Cùm ille omnia, quæ Caluinus præſcriberet, facturum ſe recepiſſet: conſcia vxore primò febrē ſimulat, acutiſsimumq; morbum, hinc à pluribus miniſtris, populi Geneuenſis precibus accuratiſsimè commendatus, ſe mori fingit. Quid opus eſt verbis? Ille veterator & callidus, vt ſibi Apoſtoli Geneuenſis gloriam compararet, cùm funus eſſet ex more compoſitum, quaſi rerum omnium ignarus, cum pluribus amicis ac familiaribus deambulatum prodit, cumq; eò ventum eſſet, vbi miſeræ vxoris eiulatibus ac fœmineo vlulatu omnia perſtrepebant, quid hoc ſibi vellet, ſciſcitatus, & quid eſſet, intelligens: cum ſuis domum ingreditur, & ad compoſitum funus accedens, indictoque mulierculis ſilentio, precibus alta voce profuſis, Deū rogat, vt potētiam ſuam

Bolſecus & Iaius in geſtis Caluini.

ſuam oſtendens, huic mortuo vitam, pro ſui nominis gloria, Euangelijque, quod à me inquit, prædicatur, veritate reſtituat. Deus qui cordis & intimæ voluntatis inſpector eſt, non irridetur, nec illa vera lux poteſt teſtis eſſe mendacij. Ad mortuum, quem viuum ac ſanũ arbitrabatis, Caluinus accedit, & Apoſtolicũ aliquid referens, Petri exemplo, miſeri hominis apprehẽſa manu, in Dei nomine imperat, vt coram omnibus ſurgens, vitam ſibi diuinitus redditam gratuletur. O ſeuerum Dei iuſtumque iudicium! Qui ſe mortuum finxerat, ſtatim Dei iudicio moriens, impium Caluini facinus fraudemque detexit. Cùm enim ille ſæpius inclamaret vt mortuus ſurgeret: quem vxor doli conſcia viuum exiſtimabat, is repertus eſt mortuus. Quod cũ intellexiſſet muliercula, maritique corpus immobile ac frigidum perſpexiſſet: tum verò non fictos eiulatus ędere, in ipſumque Caluinum impetu facto, eum impoſtorem, falſum prophetam, virique ſui homicidam coram omnibus appellare: iudicum, ad quos ſe recta ire dicebat, fidẽ implorare. Sed Caluinus, vt vitaret inuidiam, aliquot aureos mulierculæ numerat, plura pollicitus, ſi huius tragœdiæ nulla mentio deinceps fieret. Sed aderant plæriq; Germani, tanti facinoris teſtes, qui Gallicum impoſtorẽ ſuis coloribus pingerent, ne rem omnium ſæculorũ memoria dignam, aliquando deleret obliuio. Ita qui Deum irrideri poſſe confidunt, iure meritoque ridentur.

At

in præfat. instit. Caluini astus. At Caluinus tanti, ni fallor, facinoris conscius, & alij quidam, sibi à nobis iniuriam fieri dicunt, quod ab ijs miracula exigimus, cùm ipsi nihil nisi antiquissimum doceant: nullumque doctrinæ genus, nisi quod ab Apostolis ac martyribus, innumeris miraculis comprobatum est, amplectantur ac prædicent. Sed contrà illorum doctrinam esse nouam & cum omni antiquitate pugnare, superius ostendimus, eosq; constat ab ordinarijs Ecclesiæ Prælatis non esse missos. Quid verba audiã, cùm facta videam? Proinde cùm eorũ doctrinæ genus non modò nouũ sit, verũ etiam cũ omni antiquitate, quã sequimur, tã apertè manifesteque dissideat: eos nec recipere possumus nec probare, nisi se doceãt missos esse diuinitus. At Ioannes Baptista, inquiunt, diuinitus missus, signũ nullum fecit. Nimirum isti præclari homines se cũ Ioanne Baptista cõferre conantur. Hic igitur talis ac tantus nullum signum fecit: sed in eo facta sunt multa diuinitus. In primis enim hic de anu & sterili natus est. Deinde pater eius obmutuit, illamque linguam quam antè ligauerat infidelitas, in natali filij, fides soluit. Quid quod in matris vtero, vt ita dixerim, prophetauit, & adhuc puer in desertis locis vixit? Ad hæc is erat Pontificis filius, ac proinde ordinarius minister. Præterea nihil nouum docuit, neque se à cæteris sacerdotibus, Deique populo segregauit. Et quanquam Principes ac Pharisæi eum oderant, propterea quod Christum, quem digito demonstraue-

Ioan. 10. Luc. 1.

rat,

rat, prædicaret: illi tamen à Christo interrogati, quid de Ioannis baptismo sentirent, id improbare non ausi sunt. Matth. 21. Denique Iosephus Iudaicæ scriptor historiæ, Ioannem Baptistam à Antiquit. li. 18. ca. 10 Iudæis inter summos atque præcipuos, integritatis iustitiæque merito, habitum esse testatur. Ex quo aduersariorum, qui illum à Iudæis Cẽturia 1. instar hæretici habitum esse contendunt, mẽdacium intelligi potest. libr. 1.

Hactenus Ecclesiam Christi apud hæreticos esse non posse demonstrauimus. Veniamus ad alterã partem diuisionis expositæ: nostramque, id est Catholicam Ecclesiam, ex miraculis, quæ ab illius nascentis exordio, singulis ætatibus habuit plurima, non ab hominibus excogitatã, sed diuinitus institutã esse doceamus. Vera miracula in sola Ecclesia Catholica fiunt. Miracula opera esse diuina, ijsque fidẽ ac religionem à Deo traditã mirificè confirmari, superius ostendimus. Quæ si superioribus tantùm sæculis facta essent, & non adhuc nostra memoria fierẽt, aliquid aduersarij dicere viderentur. Sed melius est, vt ab Ecclesiæ nascẽtis exordio per omnes curramus ætates, & hoc miraculorum collyrio, lippos aduersariorum oculos inungamus. Iuuat enim intelligere, omnibus sæculis Ecclesiam Domini voce fundatam, illustratam fuisse miraculis: eamque in qua etiamnum durat hoc munus, non solùm antiquæ similem, sed etiam veram Ecclesiam esse, ipsumq; domiciliũ veritatis. Veritatis domiciliũ vbi. Primo sęculo, ipsius Christi & Apostolorum eius miracula diuinis literis consecrata sunt, vt

Euan-

Euangeliorum libri & Apoſtolorum acta teſtantur. Proximo ſæculo, vt Eccleſiaſtica multis locis narrat hiſtoria, non modo Chriſtianorum militum in M. Antonini Romani imperatoris exercitu: ſed etiam alia propè innumera miracula recenſentur. Tertio ſæculo Gregorius Neocæſareæ Ponti Epiſcopus ſanctitate doctrinaque illuſtris, ſignis verò ac miraculis multo illuſtrior, quorum multitudine atque præſtantia, θαυματουργὸς, id eſt, miraculorum operator dictus eſt: ac Baſilij teſtimonio, cum Moſe, Prophetis & Apoſtolis comparatus. Quarto ſæculo, perfidiæ frigore iam repreſſo, Eccleſiæ verna temperies lilijs candida & floribus coronata ſucceſsit, in quo Nicolai, Antonij, Macarij, Hilariones, Martini, alijq́; propè innumerabiles ſanctiſsimi Monachi, tot miraculis claruerunt, vt ſummi ac eloquentiſſimi viri, Athanaſius, Hieronymus, Sulpitius multis voluminibus hæc enumerare nõ poſſint. Quinto ſæculo plurima cùm in Africa multis in locis ad reliquias Beati Stephani protomartyris: tum Mediolani in inuentione corporum Beatorum martyrum Geruaſij & Protaſij, D. Auguſtinus ſe præſente facta commemorat. quo tempore cultũ Sanctorum, quẽ aduerſarij abolere conantur, cùm tot tantiſq́; miraculis, vt ijs nihil videatur illuſtrius, approbârit Deus: æquum eſt, ni fallor, vt diuino teſtimonio potius, quàm humano mendacio fidem habeamus. Sexto ſæculo cùm hæretici in oriente plurimùm poſſent, iamq́; degeneraret

Tertull. ad Scapulam & in apologet. c. 5. Euſeb. li. 5 Eccleſiaſt. hiſt. Oroſ. li. 5. hiſt. ca. 15.

Baſilius de ſpiritu ſancto gregorius Nyſſen. in eius vita. Hieron. in catalog. viror. illuſt.

libr. 22. de ciuit. Dei, cap. 8.

raret Aegyptus:in occidente Benedictum monachorum patrem, summa diuinitas excitans, tantis miraculis comprobauit, vt toto terrarũ orbe nihil eo vno esset illustrius. Qua tempestate duo Romani Pontifices, Ioannes & Agapetus, ne lucifugæ veritatis omnes antichristos fuisse contendant, inter illius sæculi tenebras, miraculis coruscarunt. gregor. in dialogis.

Septimo sæculo gens Anglorum, Britannia, quæ nunc Anglia dicitur, occupata & idolorum cultui dedita, ab Augustino alijsq; probatissimis monachis, quos in eam insulã Rom. Pontifex miserat, ad Christianam fidem, miraculorum quæ ab ijs fiebant, admiratione cõuersa est:& quos Dei verba non vicerãt, signa vicerunt. Quorundam Angliæ regum pietatem, fidem, sanctitatem fuisse tantam, vt ij miraculis coruscarint, memoriæ proditum est. Quæ cùm ita sint, istorum nouatorum perfidiam potius, quàm illorum veterum fidem ac religionem imitari, Veneremque Anglicanæ Ecclesiæ caput dicere, turpe est. Octauum sæculum, quo Romanum imperium à Græcis, quorum animos variæ hæreses occuparant, ad Carolum magnum Francorum regem translatum est, nõ tam miraculis, quàm Latinis scriptoribus caruit:& tamẽ iacentibus literis, multa tum à sanctis hominibus, qui Romano Pontifici obtemperabant, Cuthberto & Ioanne in Anglia facta esse memorantur. Illud omitto, quod in Hispania Pompeiopoli, quam Pampelonam vocant, à Carolo obsessa, cùm ille Idem lib. 9 epist. 58 Beda lib. 1 hist. ca. 31. ibidem li. 3. cap. 2. idem lib. 4 & 5. hist.

Annales Francorū. munitiſsimam vrbem expugnare non poſſet, fuſis ad Deū precibus, altiſsimi muri, vt olim Hiericuntini, funditus corruerunt. Nono ſæculo Tharaſij miracula ab Ignatio Niceno deſcripta, aliaque innumerabilia omnis generis, apud Sueſsionas in translatione reliquiarum Sancti martyris Sebaſtiani, quæ in Francorum annalibus, ab ijs qui & interfuerunt & eo ſæculo floruerunt, pluribus explicantur. Decimo ſæculo Sancti Romoaldi, quem alij Rumoldū vocant, miracula Mechliniæ, quod eſt inferioris Germaniæ oppidū haud ignobile, contigerunt. Quo etiam tempore ſancti, Venceſlaus Bohemorū rex, Vdalricus, Dunſtanus, vt refert Surius, multis ſignis ac virtutibus claruerunt. Vndecimo ſæculo Eduardi Anglorū regis & virginis, Anſelmi, Gregorij Papæ VII & aliorum ſigna celebrantur. Duodecimo ſæculo in Catholica Eccleſia, Beatus Malachias Epiſcopus & Rom. Pontificis legatus adeò claruit, vt à Beato Bernardo, qui teſtis omni exceptione maior, eius ſcripſit hiſtoriā, hoc mereretur encomiū: Quo, inquit, antiquorum genere miraculorū Malachias nō claruit, ſi bene aduertimus pauca ipſa, quæ dicta ſunt? Non Prophetia defuit illi, non reuelatio, non gratia ſanitatum, non mutatio mentium, non deniq; ſuſcitatio mortuorum. Quid ad hanc laudem addi poteſt? Quod ſi præclarum eſt, vt ait ille, à præclaro viro laudari, quātus hic eſſe dicendus eſt, qui à Beato Bernardo Romanis Pontificibus addictiſsimo, tantā laudem meruit?

Petrus Damianus. Bernard. in vita Malachiæ. Gaufridus in geſtis Bernardi.

Hic enim tanquã alter θαυματοῦργ☉, apud Cõstantiam in Alpiũ faucibus sitã, vna eademq́; die vndecim cœcos illuminauit, mãcos decẽ, claudos decẽ & octo curauit, tantaq́; miraculorũm luce, non solùm in Gallia, verùm etiã in Italia coruscauit, vt illorũ iniri numerus nullo modo posſit. Proximo sæculo, quod est tertiũ decimũ, in Catholica Ecclesia multi ædidere miracula, sed in primis Beatus Franciscus noster antesignanus, cuius vitã signis virtutibusque clarisſimam, Bonauentura descripsit. Beati Dominici gesta negligentius quidem scripta sunt: illum tamen constat tres mortuos excitaſſe. Qua tẽpestate Petrus martyr, Thomas Aquinas, Antonius, qui Patauij sepultus, ab ea Vrbe cognomẽ accepit, Aegydius, Clara, Bonauentura, Ludouicus, alijq́; complures in Italia & Gallia tot miraculis claruerunt, vt illorum religionem ac fidem tantis signis ac virtutibus approbatam confirmatamque diuinitus, non ab hominibus excogitatam, sed à Deo traditam esse, meridiana luce sit clarius. Multa prætereo, quæ si singula enumerare vellem, nunquã exitum inueniret oratio: tot tantisq́; miraculis fides Catholica, quam à maioribus accepimus, est confirmata diuinitus. Nihil Dei, qui nec fallere nec falli potest, testimonio verius: nihil certius.

Posterioribus autem ac proximis sæculis, nihil in religione mutatum est, sed fides à maioribus per manus tradita, quod ipsi quoque aduersarij confitentur, ad nos vsque peruenit.

Vera miracula in Ecclesia Catholica hodie non desunt.

Neque desunt nostro sæculo eadem miracula, quæ ad Catholicæ fidei confirmationem, varijs in locis, maximè in vtraque India, quotidie fiunt. Sed quoniam hæ regiones procul à nobis sitæ, ansam quandam videntur præbere mendacio: age ad viciniora veniamus. Apud oppidum Montis regalis, quod haud procul à Taurinis in Apennini radicibus situ est, imago Deiparę virginis Catholica pietate colitur, ad quam omnium morborum genera curantur: illiusque cultores, quos hæretici idolatras dicere solent, tanta Dei beneficia quotidie consequuntur, vt in hac mundi senectute, cùm illi Thaumaturgi, Antonij, Hilariones, Bernardi, Francisci pereunti sæculo desint, antiqua miracula, fremant licet aduersarij, non solùm renouata, sed etiam superata esse videantur. Eant isti, & hæc Dei testimonia suo more derideant. Nos certè Deo potius, quàm impijs hominibus, credendum putamus, sacrarumq; imaginum cultum approbatū confirmatumq; diuinitus retinentes, hæreticorum fumos iure meritoq; ridemus. Quid de Lauretano sacello dicam, quod in Adriatici maris littore situm, tot tantisque miraculis illustratur, vt ex Gallia, Germania, Hispania, Britannia peregrini pene innumeri ad illud religionis ergò concurrant, seque in dies singulos, maximis Dei muneribus affici gratulentur? Sed quoniam hæc in Italia fortasse à nobis longius fiunt, ad viciniora redeamus. Apud Hallense oppidū, quod in Galliæ Belgicæ inferiorisq; Germa-

Miracula innumera apud Montem regalé.

Apud Lauretum.

Apud Hallenses.

niæ confinio positum, Mariæ virginis matris haud ignobili templo decoratum est, sæculi fine iam proximo, tanta miracula quotidie fiũt, vt omnes Catholici, qui varijs calamitatibus presſi, Deiparæ virginis opẽ pijs precibus implorant, vbicunque fuerint, voti rei, confestim à mille incommodorum generibus eximantur. Multa prætereo, quæ per Beatum Nicolaum, cui augustiſsimũ templum haud procul Nanceio Lotaringorum oppido nõ ignobili, Catholica pietas dedicauit, alijsq; in locis admiranda Dei beneficia calamitosis hominibus exhibentur: quibus non solùm beatorum cum Christo regnantium, verùm etiam sacrarum imaginum cultus mirificè cõfirmatur. Apud Lotaringos.

Sed quoniam inter hæreticos nihil tale fit, & recedente ab illis Spiritu sancto, eius æmulus malignus spiritus rerũ potitur: multi sunt Geneuæ, multi in Germania, vt de reliquis prouincijs taceam, energumeni: multi à demonibus obsidentur. Veniant isti nouatores, siue Lutherani, siue Caluinistæ, qui omnes de Euãgelio gloriantur: eijciant demones, & se fidei suæ merito, de qua tantopere gloriantur, in malignos spiritus aliquid posse demonstrent. Quid opus est verbis? Hæc à Catholicis non à Lutheranis aut Caluinistis: hęc à nostris quotidie fiunt: ab aduersarijs fieri nullo modo possunt. Quę cùm ita sint: cum Augustino vinculis miraculorum, tanquam Dei testimonijs, in Ecclesia Catholica, iure meritoque retinemur: Deoque cum Victorino Richardo possumus

li. de vtilitate credẽdi cap. 17. & contra epist. fund. cap. 2. libr. 1. de trinitate cap. 2.

mus dicere: Domine si error est, quod credimus, à te decepti sumus. Ista enim in nobis ijs signis atq; prodigijs confirmata sunt, quæ non nisi abs te fieri potuerunt.

Hæretici miracula impugnãt. Sed vt hæreticis nunquam verba desunt, respondent aduersarij; miracula Sanctorum esse ficta, non facta. nec ita contigisse, vt à nostris facta dicuntur. aut certe, si ita contigerũt, demonum esse præstigias. Itaque centuriatores: Si vera sunt, inquiunt, quæ de miraculis Beati Martini scribit Sulpitius, Martinum sine dubio fuisse necromanticum. Ita illi hæretica licentia. Demonum autem fuisse præstigias, ex eo probare conantur, quod vera miracula confirmant Euangelium. Ista autem, secundùm illos, idololatriam, id est, imaginum cultum, Sanctorum inuocationem, Missam, aliaque generis eiusdem confirmantia, Euangelium euertunt. Deinde ex miraculis argumẽtum satis firmũ, ad probandam fidei veritatẽ, sumi posse negant, quod quatuor argumentis probare conantur. Primò, Antichristus faciet signa magna. Deinde Augustinum tract. 13. in Ioannem negare, Donatistis esse credendum, etiamsi miracula faciant: illosq; ab eo mirabiliores dici. Eiusdẽ Augustini in libro, de vnitate Ecclesiæ, cap. 16. esse sententiã, non modo Donatistarum, sed ne Catholicorum quidem miraculis esse credendum. Quæcũque, inquit, talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia hæc in ea fiunt. Tertiò, quoniam

Centuria 5. ca. 10.

Matth. 24. Apoc. 13. 2. Thess. 2.

quondam ad sepulchrum Hieremiæ, opera dæmonum facta fuisse miracula dicunt. Quartò, quod Imper. Vespasianum, vt ex Suetonio constat, cœco lumen, claudo gressum, aliquando reddidisse perspicuum est. Ad hæc ex Socrate, centuriatores, Pauli Episcopi Nouatiani miraculum proferunt. Neq; tamen esse cõsequens, veram fuisse religionem, quam aut Vespasianus aut Nouatiani colebant. lib. 7. hist. cap. 17. in Centuria 5 cap. 13.

Sed ad singula respondendum est. Nunquã hodie effugies, veniam quocunque vocaris. Quod igitur in primis aduersarij negant, facta esse miracula, quæ referuntur à nostris, ea impudentissimè negari dico. Stultissimum enim est, de antiquis historijs, Caluino potius & Illyrico, qui non interfuerunt, quàm Athanasio, Ambrosio, Augustino, Bernardo, Bonauenturæ, alijsque qui interfuerunt, credere? Ita quondam Ethnici à nostris facta negabant miracula. Sed quid vnquam erit verũ, si negare sufficiet? Quod autem Sanctorũ miracula, dæmonũ præstigias esse dicunt: ita quondam Pharisæi veritatis inimici, de Christi miraculis loquebantur, & pagani nostros martyres, magos esse dicebant. Sic Ariani, Eunomiani, Vigilantiani, Hieronymo & Ambrosio testibus, Sanctorũ miracula calumniabantur. Sed audiant imperiti non solum impudentes calumniatores. Non idiotæ & illiterati homines, quales Martinus, Franciscus, alijque plures fuerunt: sed Philosophi ac literis tincti, magicis artibus operã dare consueuerunt. Ad hæc mago-

Argumẽtis hæreticorũ respondetur.

Hieron. in Vigilantiũ. Ambro. de SS. Geruasio & Protasio.

Magi quales.

rum ambitionem gloriæque cupiditatem quis ignorat? Hi vrbium frequentiam amant, in omniumq; ore versari cupiunt. Simó Magus, vt aliorum insaniam impietatemq; præterea, nó solùm omnium hominum primus, sed etiã Deus haberi voluit: & vt sibi diuinitatis opinionem compararet, volare per aëra cœlumq; ascendere, ac mortuos excitare tentauit. Illi autem solitudinis amatores, latebant & non latebant: fugiendo gloriam, gloriam merebantur, quæ appetitores sui fugiens, appetit contemtores.

Quid de illis Antonijs, Macarijs, Hilarionibus dicam? qui omnium vrbium frequentiã fugientes, ne aduersarij Martinũ & Fráciscum non semper in solitudine latuisse causentur, abditissima quæque deserta penetrabant, eaq; incolebant loca, in quibus à requirentibus vix inuenirentur. Proinde miraculorũ causa multi ad eos non solùm ex vrbe, sed etiam ex toto, vt ita dixerim, orbe currebant. Quid, quod magorum memoriam post eorum mortẽ aut statim deleuit obliuio, aut ita dehonestauit infamia, vt eorum nomine nihil turpius, nihil execrabilius esse videatur? At illorũ, qui Deo pleni vera miracula fecerunt, nomina tot sæculis gloriosa, velint nolint aduersarij, toto terrarum orbe laudantur. Memoria iusti cum laudibus, nomen autem impiorum putrescit. At ista miracula Euangelium euertunt. Certe Caluini aut Lutheri; non Christi. Illi namque suis næuijs atq; blasphemijs Euangelij nomen impo-

Inter nostros sanctos & magos quanta differentia

Prouer. 10

imponunt. Sed antiquum est Christi Euangelium, quod mille quingentis abhinc annis toto terrarum orbe percrebuit. Istorum insania noua: quorum nomina ante octoginta annos nullus audiuit. Quid in re tam perspicua opus est verbis? Antichristi verò miracula, qualia futura sunt, Apostolus ostendit, non vera sed falsa: non solida, sed apparentia tantùm ac vana: quæ demonum arte facta, homines mirabantur. In Apocalypsi inter maxima Antichristi miracula hæc duo ponuntur, quod is faciet ignem de cœlo descendere, & vt imago bestię loquatur. Hæc autem facilia esse demonibus, perspicuum est. At longe aliud est, cœcum illuminare, claudum erigere, ægros curare, mortuos excitare: quæ nisi eius virtute, de quo in Psalmo canimus: Qui facit mirabilia magna solus, fieri nullo modo possunt. Donatistarum autē miracula, quæ ab Augustino iure ridētur, non erant talia, sed nescio quæ visiones, aut spectra, quæ illi se vidisse iactabant, qualis fuit Zuinglij visio, qui à se spiritum quendam visum esse dicebat, sed se non potuisse discernere, vtrum is albus esset, an niger. Tale quippiā & à Luthero visum esse memoratur. Itaq; non absq; causa hæc miraculorum genera fabulas Augustinus vocat. Quanti autem ille sanctissimus vir fecerit vera miracula, ex multis eius libris, maximè ex ijs, quos de ciuitate Dei accuratissimè doctissiméque composuit, perspicuū esse, in quibus aduersus Ethnicos diligentissimè disputās, ea maximè laudat ac prędicat.

2. Thess. 2.
Apoc. 13.
Psal. 136.
lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8.

Sed Ecclesiam ex scripturis non ex miraculis demonstrari, Augustini esse sententiam, suo more aduersarij mentiuntur. At ille longe aliter, Ecclesiam non ex scripturis, sed ex miraculis, imò scripturas ex Ecclesia demonstrari asseuerat. Nisi forte Augustinum rudem atque imperitum esse, eumq; secum pugnare aduersarij dicat. In vtroque igitur loco is ex hypothesi loquitur. Cùm enim Manichæi miracula admitterent, scripturas autē ita negarent, vt vetus instrumentum à diabolo, nouum autem dicerent esse corruptum: Augustinus in libro contra eos scripto, ex miraculis primò demonstrat Ecclesiā, deinde ex Ecclesia scripturam. Sed quoniam Donatistæ contrà scripturæ tam veteri, quàm nouæ credentes, suas visiones pro miraculis prædicabāt; Augustinus in illos agens, alia via graditur. Itaq; primùm ex scripturis ostendit Ecclesiam: hinc per Ecclesiam, de miraculis iudicandum esse pronunciat. Est igitur animaduertendum, rectè ex miraculis Ecclesiam, & ex Ecclesia miracula demonstrari, sed diuerso demonstrationis genere, quemadmodum ex effectu causa, & ex causa demonstratur effectus. Proinde ex miraculis demonstratur Ecclesia, non quantum ad euidentiam & certitudinem, sed quantum ad credibilitatis euidentiam certam. Nam ante approbationem Ecclesiæ, non est certum aut euidens, vllum miraculum verum esse miraculum, vt certa sunt alia, quæ fidei articulis continentur; sed tamen tale est, vt euidenter

In lib. contra epist. fundam. c. 4. & 5.

rem faciat esse credibilem. Euidens autem nō esse, perspicuū est: tū enim fides esset euidens, proinde iam non fides. Neq; certum est certitudine fidei: neq; enim ita certū est illud miraculum nō esse demonis illusionem, vt certa sunt ea, quæ Catholica fides tradit. Demones enim etsi non possunt facere vera miracula, tamen apparēter maxima quæq; possunt. Dicet aliquis. Cùm hæc ita se habeāt, cur ij, qui Christi miracula videbant, ei prædicanti fidem adhibere debebant? Quia sine fide Christi saluari nemo potest. Omnes igitur eam vt ad salutem suam in primis necessariam suscipere debebāt. Noluit autem Deus homines obligare, vt incredibilia crederent: sed cùm per miracula & alia huiuscemodi signa, quibus ad credendum impellimur ac mouemur, fides credibilis facta est. Sed ex Ecclesia quantum ad rei certitudinē miraculū demōstratur. Cùm enim illa, quæ errare non potest, miraculū factum, verum miraculū, factumq; diuinitus esse declarat, tum demum ita esse, perspicuum est.

Venio ad Caluini mendacium, quo Hieremiam à populo, sacrificijs diuinisque honoribus in Aegypto coli solitum, impudentissimè finxit. Quod cùm sine auctore, sine teste asseueretur: eadē auctoritate reijcitur, qua probatur. Quanquā enim iste nescio quid margini appinxerit, suumq; mendaciū Hieronymi nomine adumbrare conetur: tamē illud ex Hieronymi in Hieremiā commētarijs, omnibusque præfationibus falsum esse, perspicuum est.

In vita Hieremiæ. est. Epiphanius autem & Isidorus, ad Hieremiæ sepulchrum, miracula quidem facta esse testantur: sed de sacrificijs ac diuinis honoribus nullum verbum. Ita Caluinus suo more mentitur. A Vespasiano autem Aug. quod aduersarij cœcum illuminatum, claudum curatū esse contendunt: id quemadmodum factū sit, lib. 4. hist. intelligere operęprecium est. Cornelius enim Tacitus refert, interrogatos medicos, verū illorum duorum morbi curabiles essent. Qui cùm vt fit, inter se disseruissent pluribus verbis, huic non exesam esse vim luminis, & redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in prauum artus, si salubris vis adhiberetur, integrari posse. Proinde non esse mirum, si morbi natura curabiles, demonum qui Christianis, tam multa signa facientibus, omniumq; morborum genera curantibus inuidebant, opera In apolog. ca. 22. curati fuerūt. Adde quod, vt Tertullianus ait, totum illum morbum à diabolo fuisse, credibile est: qui in huius oculis, illius tibijs insidēs, eorumque membrorum vsum impediens, curasse videretur, cùm nocere desineret. Quod autem Pauli Nouatiani Episcopi miraculum aduersarij protulerunt, id non in Nouatianæ fidei imò perfidiæ confirmationem, sed in veri baptismi comprobationem, factum fuisse, In Eccle-siast. hist. perspicuum est. Nam vt refert Socrates, cùm ad Paulum Nouatianum Episcopum quidam Iudæus impostor venisset, qui & antè baptizatus fuisset, & Christianum baptismum animo derideret, ab eoq; baptizari vellet: vbi ad rem

ventum

ventum est, continuo tota sacri fontis vnda fugiente, ille veterator & callidus baptizari nō potuit. Sed hoc miraculum non ad Nouatiani erroris, sed ad Christianæ fidei confirmationē valere, manifestum est: Ex eo maxime, quod idem Socrates illum Iudæum antè Catholico ritu ab Attico Constantinopolitano Episcopo baptizatum fuisse, subiungit. Ita Deus cùm baptismum in Ecclesia ritè susceptum irrideri nollet; Iudæum ab hæretico Episcopo rebaptizari passus non est. Hactenus de miraculis egimus pluribus fortasse verbis, sed paucioribus, quàm tantæ rei postulat magnitudo.

Veniamus ad Prophetiæ lumen, fortasis ἐκ περιουσίας, quod nunquam in vera Christi Ecclesia defuit. Quemadmodum enim prior illa synagoga, hoc illustrata lumine, quondam in Palæstina vicinisque regionibus fulsit: ita Ecclesia Catholica toto terrarum orbe diffusa, non ea inferior, sed maior & clarior, hac filij Ioelis vaticinio promissa luce perfusa est: Et erit post hæc ait Dominus: effundā spiritū meum super omnem carnem, & prophetabūt filij vestri & filiæ vestræ. Quo certè lumine nihil potest esse diuinius. Quis enim futura, quę contingentia dicuntur à nostris, nisi solus Deus ante cognoscit? Annunciate, inquit, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quod dij estis vos. Contrà in Deuteronomio, falsæ doctrinæ nota, si Propheta prædixerit aliquid, & non euenerit, assignatur. Apud Ethnicos autē & hæreticos multa falsa vaticinia fuerūt, nulla vera;

Prophetiæ lumen in Christi Ecclesia nunquā defuit

Ioel. 2.

Isai. 41.

Deut. 18.

vera, nisi forte in religionis ac fidei nostræ testimoniũ fieret, qualia Sibyllarũm & Balaami fuisse dicũtur. Habuerũt illi plurima oracula, vt Pythiũ Apollinẽ, ad quem olim ex toto, vt ita dixerim, orbe currebãt. Sed qualia dæmonũ in ijs respõsa fuerint, quã ambigua, quã incerta, cũ quid futurũ esset, ipse Apollo nesciret, nemo literis tinctus ignorat. Aio te Aeacida, Romanos vincere posse. Et: Crœsus Halym superans magnã profundet opũ vim. Quid magis ambiguũ potest esse? Aliquãdo tamen certius aliquid futurũ, quòd aut ipsi facturi essent, aut iã cœperat fieri, cuius naturales caussas hominibus ignotas, ij ob naturæ subtilitatẽ intelligebãt, vt diuinitatis opinionẽ sibi cõciliarẽt, nescientibus nũciabãt. In antiqua lege Pseudoprophetæ, in noua hæretici multa prædicere, spiritumq́; propheticũ sibi arrogare conati sunt: sed vtrosq; semper fefellit euentus. Regi Achab, hæreticorũ Patriarchæ, qui prophanũ Beli cultũ induxerat, quadringẽti Pseudoprophetæ certã victoriã promittebãt: sed is falso illorũ vaticinio temere credẽs, acri prælio victus & occisus, iustas impietatis suæ pœnas dedit. Mille quadringentis abhinc annis Montanus hæreticus cũ insanis vatibus Prisca & Maximilla, paracletus haberi voluit, & nescio quæ bella futura prędixit: sed longe aliter euenisse, veteres historiæ prodiderũt. Quid Patrũ memoria Lutherus hæreticorũm sæculi nostri antesignanus, quem eius discipuli Germanicũ Prophetã & Heliã vocant? Nõne præ-

Oracula Pythii Apollinis qualia.

Athanas. in vita S. Antonii. August. de diuinatio. dæmonum Theodor. de oraculis

3 Reg. 22.

Montanus hæreticus.

Euseb. libr. 5. hist. cap. 16 & 18.

Lutherus.

dixit fore, vt si ceptũ à se concionandi genus, ad biennium prosequi vellet, euanesceret Papa, Cardinales, Episcopi, monachi, moniales, tẽpla, cãpanæ, Missa, aliaq; huiuscemodi, quęcũq; ad Catholicã religionẽ pertinẽt? Atqui hic præclarus Helias post nõ biennio, sed viginti duob. annis suo more cõcionatus est: attamẽ neq; Rom. Ecclesiæ dignitas imminuta, sed potius aucta: neq; Missæ sacrificiũ diuinit⁹ institutũ, illius furore sublatũ, sed è Saxonia cæterisq; prouincijs, quæ iusto Dei iudicio, sed occulto, veritatis luce priuantur, in Indiã, aliaq; regna illatã, multarũ gentiũ pia religione susceptũ est. Tanta & hinc veritatis vis, & inde illi⁹ noui Pseudoprophetæ vanitas fuit. Ecclesiasticorũ enim & genus immortale manet, multosq; per annos Stat fortuna dom⁹, & aui numerãtur auorũ. Mũcerus è Lutheri schola prodiẽs, qui se Gedeonẽ vocabat, innumerabilesque rusticos in Germaniã nobilitatem armauerat, suis adeò certã victoriã promittebat, vt à se innoxios oẽs æneãrum machinarũ globos manica excipiẽdos esse gloriaretur. Sed cęso rusticorum exercitu, gloriosus ille Pseudopropheta capt⁹ & vinctus stetit ante ora victorũ, à quib. morti adiudicatus, necesse habuit carnificis operiri manũ, suppliciũq; diuidere, poplitem flectere, ceruicẽ extendere, ad plagam fortasse non vnam.

Cochlæus in actis Lutheri, anni 1525.

Muncerus.

Longè aliter veri Prophetæ, non solùm superioribus sæculis, verùm etiam ad nostram vsque memoriam, in Catholica Ecclesia claruerunt; qui inspirati admonitique diuinitus, non falsa, non inania, sed certa futurorum va-

ticinia

ticinia prædixerunt. Itaque Apostolorũ, aliorumque præstantißimorum hominum, qui in Ecclesiæ nascentis exordio floruerunt, oracula omitto: illumque Gregorium Thaumaturgum, quem Basilius magnus Apostolis ac Prophetis comparare non dubitat, & magnum illum Antonium monachorum antesignanum, cuius Athanasius meminit, & Abbatem Ioannem, qui Augustino teste, Theodosio Aug. certam de tyrannis, qui in illum maximas copias comparauerant, victoriam prædixit, aliosque quos abscondit antiquitas, hoc loco prætereo: venioque ad recentiores, quos in Ecclesiæ Catholicæ naui nobiscum fuisse, non dubium est. Benedictus monachorum sui sæculi lumẽ, eo tempore, quo hæretici sæculi nostri, Ecclesiam perijsse dicũt, sic augebatur in dies singulos diuina gratia, vt etiam futura prædiceret. Quod vbi Totila Gothorum rex intellexisset, an ita esset, explorãdum putauit. Proinde quendam ex suis, qui se regem simularet, regio cultu comitatuque præmisit. Quem vt Benedictus vidit: Depone, inquit, fili, depone quod geris. Nam non est tuum. Hinc ad regẽ, qui in alieno cultu se latêre arbitrabatur, conuersus, illum de suis actibus increpauit, paucisque verbis cuncta, quæ illi erant euentura, prædixit: Multa, inquit, mala facis, multa mala fecisti. Iam tandem aliquando desine. Equidẽ Romam ingressurus es, mare transiturus, nouẽ annis regnans, decimo moriêris. Quod verum esse, rei demonstrauit euentus.

li. de Spiritu S. ca. 29. In vita D. Antonii. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 26.

Benedictus Propheticæ spiritum habuit.

gregor. 2. dialogorũ cap. 15.

Quid

Quid aliquot poſtea ſæculis? Nónne S. Bernardus Romanis Pontificibus, quos iſti Antichriſtos vocāt, addictus ac familiaris, eodem Prophetiæ ſpiritu imbutus, quatuor hominibus conuerſionem, tribus ea de re nihil cogitantibus, quarto ab ea etiam abhorrénte prædixit? Quæ omnia ſicut ille prædixerat, euenerunt. Tam admirabilis in illo ſancto viro, prophetiæ ſpiritus fuit. Sed mirabilius eſt, quod ſequitur. Cùm quidam nobilis vir ita ſæculo deditus eſſet, vt eius filius de patris ſalute ſolicitus, vt pro illius conuerſione S. Bernardus oraret, magnopere peteret: Ne timeas, inquit ſanctus: Ego illum probatum monachum in hac Clarauall e ſcpeliam. Quot quantáque ſunt in paucis his verbis vaticinia? Nam & monachum illum aliquando futurum, & in ordine monaſtico vſque ad vitam perſeueraturum, & ſanctè piéque moriturum, idq; Bernardo adhuc viuo, & in ipſo Clarauallis monaſterio, & ipſius Bernardi manibus ſepeliendum eſſe prædicitur. Vaticinia plura quàm verba. O admirabilem rerum fidem, qua in vno homine non vnum aut alterum, ſed ni fallor, ſex vaticinia diuinitus euenerunt. Nam & ille perfectus monachus factus eſt, & à patre ſancto, ſicut ipſe prædixerat, in Clarauall e ſepultus; tanquam enim mori illo abſente non poſſet, quinque menſibus infirmatus, & celeberrimum imò continuum reſponſum mortis in ſeipſo habés, ſuſtinuit donec vir ſanctus rediret, eumq́ue traderet ſepulturæ. In vita eius li. 4. cap. 3.

Bonauentura in vita S. Francisci. Quid Beatus Franciscus noster antesignanus? Nonne tribus abhinc sæculis eodem spiritu imbutus, futura multa prædixit? In primis enim suum ordinem, in quo pauci, id est, septẽ tantum erant, omnium rerum egentes, mendici, famelici, tantaque inopia presſi, vt paulo post sua sponte indigentia consumi viderentur: breui sic augendum esse prædixit, vt omnes Christiani orbis prouincias occuparet. Nec eum fefellit euentus. Nam intra paucos annos illius socij non solum in omnes Italiæ & Siciliæ partes, sed etiam in Galliam, Hispaniam, Germaniam, Britanniam, Græciam, aliaq; multa regna penetrarunt. Non opibus freti, sed paupertate ditisſimi, totoq; orbe Romano amplisſima cœnobia condiderunt. Illud autem memoria dignũ, præterire non debeo quod S. Pater humanè inuitatus à quodam nobili qui optimæ valetudinis erat, precatione ex more facta, illũ admonuit vicinam instare mortẽ, ne bonæ valetudini fideret, sed ad instantẽ exitũ animã præpararet. Credidit vir pius, & secundum Domini sententiã, Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedẽ

Matth. 10. Prophetæ accipiet, exomologesi facta pœnitẽtiæq; armis instructus, paulo post mirantibus cunctis, subita morte prostratus, humi cecidit. Tantum illi Prophetiæ spiritus profuit; tantũ benignitas valuit: vt à Sancto Patre, instantis periculi moneretur, eique credens, breui compendio ad meliorem vitam de morte trãsiret. Non ita Christiani duces, in Africa cum

Saracenis dimicaturi. Qui cùm à Beato Francisco monerentur, ne illa die prælium committerent: sibi à Domino reuelatum, si pugnatum esset illa die, hostibus sine dubio cessurã esse victoriã. At cum ij monentis verba contemnerent, commisso prælio, turpiter victus ac fusus Christianus exercitus, suo malo didicit, si Sancti Patris prædictioni fidem habuisset, tantam à se cladem potuisse vitari. Multa prætereo, quæ à varijs Sanctis non solum viris, sed etiam mulieribus, reuelata diuinitus futura prædicta sunt. Ex quibus intelligitur, Prophetiæ donum in Ecclesia Catholica non solũ primis illis fidei sæculis fuisse, verùm etiam vsque ad nostra tempora permanere. Proferãt aliquid huiuscemodi aduersarij, qui de splendido Euangelij nomine gloriantur: apud quos non veritatis aut Prophetiæ lumen, quod à solo Deo esse, perspicuum est: sed recedente ab illis Spiritu Sancto, mentes Cimmerijs tenebris atriores, illoque mendaciorum ac errorũ fumo, qui ex abyssi puteo nuper erupit, inuoluta sunt omnia. Apoc. 9.

Sed hæreticorum fumos horrentesque perfidiæ tenebras relinquentes, ad verbi Dei lucem, qua nihil potest esse iucundius, nihil clarius, redeamus: ac de illo animorũ ardore, ac efficacissimo Catholicorum vigore dicamus, quo hi circumlatrantibus hæreticorum canibus in gentilium conuersionem semper incumbunt. Romana Ecclesia Domini legem accepit, quæ à Propheta immaculata dicitur, Psalm. 18.

Romanæ Ecclesiæ ardor in conuersione gentilium.

Hebr. 4. conuertens animas. Viuus est, ait Apostolus, sermo Dei & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus. Et quę sequuntur. Plato, Aristoteles multique Philosophi quondá eruditione doctrinaque præstantes, illa eloquentiæ pompa, quæ hominibus adeò grata est, vt huic nihil anteponédum esse videatur, nunquam efficere potuerunt, vt vicinæ ciuitates eorum placita legesq; susciperent. In causa est, quod illorum verba, non erant viua, sed mortua: non à diuini spiritus fonte manantia; sed ab hominibus excogitata. Mahumetani quidem plures gentes, regna, prouincias, in suá traxere sententiam: sed vi & armis, non ratione pugnantes, victos suæ subijcere perfidiæ. Ipse Mahumetus in Alcorano homines ad suá religionem suscipiendam bello ait esse cogédos. Hæretici autem nó Ethnicos aut Iudæos, quorú inter eos magnus est numerus, ad Christianam religionem fidemque conuertűt, sed omni studio ac diligentia, nostra peruertunt. Neque id nouum est. Idem enim ij qui Apostolorum vicini temporibus, Catholicos impugnabant, vt ex eodem médacij semine procreati, tanquam lucifugæ veritatis semper egerunt. De verbi administratione quid dicam? ait Tertullianus, cum hoc sit negocium hæreticis, non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent.

Athana. de hum. verb. Theodoret. li. de legib.

ca. 18. & 19

Tertull. de præscrip.

Frecul phus in chronic.

Dicet aliquis, Gothorum gentem, Valentis Imperatoris tempore, ad fidem ab Arianis esse

esse conuersam. Minime verò. Neque enim Gothi ab Arianis conuersi, sed miserè decepti fuerunt. Nam cùm iam è finibus suis egressi, sub Romani Imperatoris auspicijs militarent, multaq; preclara de Christianis intellexissent: vltro à Valente Episcopos, à quibus Christianam fidem discerent, petiuerunt. Is cùm esset Arianus, misit Arianos Episcopos. Itaq; Gothi ab ijs non Christiani, sed Ariani facti, mali Coracis malum ouum esse cœperunt: venenúmque ab hæreticis propinatum nescientes hauserunt. Neque tanta Valentis impietas diu inulta mansit. Is enim paucis post annis, ab ipsis Gothis, quos in hæreseos Arianæ barathrũ præcipitarat, occisus, meritas suæ perfidiæ pœnas dedit. O Dei iustum seuerumque iudiciũ! vt is illorum, quos ita deceperat, gladijs interemptus, eos diuinæ iniuriæ sentiret vltores. Sed vt eò vnde digressa fuerat, oratio reuertatur, hæretici non conuertunt homines, sed euertunt. Nec id mirum. Habent enim scripturæ corticem: medullam sensumque scripturæ nõ habent, sed Dei legem per verba legis impugnant. Carent igitur vero scripturæ sensu, qui proprie est gladius spiritus. Verba enim non tam gladius, quàm vagina sunt, qua spiritus gladius continetur. Cùm igitur illi non gladio, sed vagina tantùm vtantur: quid mirũ, si infidelium corda non feriunt? Nam cùm inquit Hieronymus, & Basilides, cæteræque hæreticorum pestes non habent Dei Euangeliũ, quia non habent Spiritum sanctum. Nec pu- Hieron. in epist. ad galat. ca. 1.

 temus

Verbum Dei quid. temus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Alioqui & Diabolus, qui loquitur de scripturis & omnes hæreses, secundum Prophetam inde sibi consumũt ceruicalia, quę ponant sub cubito vniuersæ ætatis.

Verbi Dei vis. Longe alia est verbi Dei virtus & energia, cuius vis ex effectis intelligi potest. In primis enim verbum Dei intellectum illuminat: Psal. 118. Declaratio sermonum tuorum illuminat. Deinde inflammat affectum. Psal. 104. Eloquium Domini inflammauit eum. Hinc mundat atque purificat: Ioan. 15. Vos mundi estis propter sermonem, quẽ locutus sum vobis. Tum animas sanat. Sap. 16. Neque herba neq; malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. Inde frangit cordis animiq; duritiem. Hiere. 23. Nónne verba mea quasi ignis, & quasi ignis conterens petrã? Aduersus impetus tentationesq; diaboli instar clypei defendit ac protegit: Prouer. 30. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se. Summam animis voluptatem ac spiritualem lætitiam ingenerat. Psal. 118. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Sap. 7. Imò omne aurum in comparatione illius, arena est exigua. Psalm. 18. Desiderabilia super aurum & lapidẽ preciosum multum, Et dulciora super mel & fauum. Reliquos verbi Dei effectus, si enumerare vellem, nunquã exitum inueniret oratio. In vita eius lib. 1. c. 16. Ignatius Loyola Societatis Iesu fundator eximius, cùm enchiridion militis Christiani,

Erasmi Roterodami librum legere cœpisset, Dei spiritu monitus, celeriter sensit, ea lectione feruorem antè conceptum, quasi frigida superfusa restingui: consultoque per preces Deo, ita librum illum abiecit, vt neque in manus postea sumserit ipse; & aliquanto post Generalis Societatis præpositus creatus, omnia illius opera in Societate legi vetuerit. Sentiebat vir grauissimus Spiritu Dei plenus, illud doctrinæ genus, quod animi restinguebat ardorem, ab illo cœlesti verbi Dei igne non posse proficisci: frustraque aquam è pumice postulari. Quod si hoc ei contigit, qui ab Ecclesia Catholica minus abhorrere tum videbatur: quid de hæreticis dicam, qui desertis Ecclesiæ castris, summo conatu totisque viribus Deum oppugnant? Proinde si isti quosdam ex nostris minus integros in perfidiæ suæ lutum abripiunt, minime mirum. Nā si cymbam aut quodcunque nauigium absq; gubernatore & remigē in rapidissimi fluminis medio, non ripæ aut arbori alligatam aliquis relinquat, deinde illud aliquot millibus passuum inferius vi fluminis raptum inueniat: nū iure miretur? Esset profectò mirum si repugnante natura, cùm omnia grauia corpora spōte in inferiora rapiantur, aduerso flumine in superiora ferretur. Ita ventris animalia, venerisque mancipia, ac suarum libidinum serui, nullo timoris Dei vinculo refrenati, nullo viuæ fidei gubernaculo freti: si suo pondere ad viciorum ima rapiantur, nō est mirū.

Est enim hæresis peccatum ac pœna peccati, quam boni, quibus nullum animi pabulum Dei verbo potest esse iucundius, facile aspernantur ac respuunt: improbi autem iusto Dei iudicio sed occulto, certatim in illius volutabrum præcipitantur ac corruunt.

Lactan. li. 3 diuin. instit. c. 17.

Epicuri disciplina, vt ait Lactantius, multo celebrior semper fuit, quàm cæterorum Philosophorum: non quia veri aliquid adferat, sed quia multos ad populare nomen volúptatis inuitat. Nemo enim non in vicia pronus est. Præterea vt ad se multitudinem cõtrahat, apposita singulis quorumcunque moribus loquitur. Desidiosum vetat literas discere, auarũ populari largitione liberat. ignauum prohibet accedere ad Remp. pigrum exerceri, timidum militare. Irreligiosus audit, deos nihil curare, aliaque in hanc sententiam. Ita hæretici maximè sæculi nostri & loquũtur & sentiunt. Non enim verbi Dei gladio pugnant, sed eius tantum vaginam obtendunt. At longe aliter Ecclesia vere sancta & Apostolica, verbi Dei energia, olim breuissimo tempore, per homines contemtos, inermes, illiteratos, simplices, absque vlla eloquentiæ pompa, totum mundum, id est, homines magnos, paruos, doctos, indoctos, iuuenes, senes, viros, fœminas ad Christianam fidem traxit: non ad sæculi voluptates, delicatumque viuendi genus, sed ad crucem & angustias, vt & crederent, quæ cum humana ratione pugnantia videbantur, & vitam ducerent non sensibus blandientem, sed

pristina

pristinæ voluptatis expertem. At forte credẽtibus in hac vita certa præmia promittebant? Imò verò nihil aliud, nisi contumelias, bonorum direptiones, iniurias, plagas, tormenta, denique ipsam mortem: quæ omnia malorum genera, multi cunctis voluptatibus, diuitijs, honoribus, dignitatibus, amicis, omnibusque commodis, quæcunque in hac vita consequi possent, ne vnam fidem amitterent, anteponenda duxerunt. Tanta verbi Dei efficacia, tanta vis est. Quid opus est verbis? Hæc orbi non hæresis, sed Ecclesia Catholica verbo Dei armata persuasit.

Sed vt ad id, vnde digressi sumus reuertamur: Romana Ecclesia gentes ad Christianam fidem conuertendas, omni studio diligentiaque curauit. Quis enim inter Ecclesiæ nascentis exordia, Dionysium Areopagitam, Trophimum, Maximum in Galliam misit? Romanus Pontifex Clemens huius nominis primus. Tungrorum ferocissimam gentem in Galliæ Germaniæque confinio positam, Seruatius Episcopus conuertit ad Christum. Et quos Romanorũ arma domare non poterant, vnius hominis sanctitas domuit. Quid Treuiros Eburonibus finitimos referam, quos veræ religionis ac fidei disciplinis Beatus Maternus instituit: quas si retinuissent, nec istos nouatores veritatis inimicos audiendos putassent, neque Christiana religio ab hærericis adeò labefactata esset, vt iam in ijs locis prope extincta videatur: neq; antiquæ pietati magica suc-

Dionysius a Romano Pontifice in galliam missus.

Tungri.

treuiri.

Socrates lib.4.c.29. cessisset impietas, Quis Frumentium Episcopum circa annum Domini trecentesimũ quadragesimum, in Indiam misit? Athanasius, quẽ etsi Alexandrinũ genere, Romanæ tamen Ecclesiæ dignitatem, Petrique Apostoli sedem agnouisse, non dubium est. Paucis post annis Moses quidam Aegyptius monachus sanctitate præcipuus, in Arabiam Episcopus missus, se ab Arianis, id est ab hæreticis consecrari passus non est: sed in Ecclesiæ Catholicæ vnitate ita permansit: vt sibi cum veritatis inimicis nihil vellet esse commune. Socrates ibid. Quis Burgundiones, qui, imperante Thedosio iuniore, Galliæ partem vi & armis occupauerant; ab idolorum cultura reuocatos ad Christianam religionem fidemq; conuertit? Idem lib.7 cap.30. Quidam Episcopus Galliarum, non hæreticorum illius sæculi antesignanus. Sigebertus in chron. A Cœlestino Pont. Romano Palladius in Scotiam, Patritius in Hiberniam, Seruatius ad insulas Orchadas missi sunt: vt illis barbaris gentibus, & pecudum antea more viuentibus, Catholicæ fidei rudimenta traderet. Clodoueus Rex cum pugnacissima gente Francorũ, quæ Romanis pulsis, totam Galliã occuparat: nonne à Sancto Remigio Rhemorum Episcopo, sub Romanę religionis ac fidei iugũ missus est? Idem & annales Franc. Felix natio si in suscepta totq; sęculis retenta religione constantior, neque se cũ Mahumetanis impio fœdere coniunxisset, neq: Caluinũ aliosq; hæreticos audiendos putasset. Multa prætereo, quæ ab Eutropio alijsq; memoriæ prodita, veterũ historijs cõtinẽtur.

Omnia

Omnia orta occidunt, ait ille, & aucta senescunt, vt cùm diminuta fuerint, finiantur. Quid igitur? Num hæc Ecclesia supra petram stabilem, Domini voce fundata, inter initia sua feruens, deinceps annis grauata consenuit? Minime verò. Nec enim fides grauatur annis, nec Ecclesia Catholica hæreticorum in morem senescit ac deficit: sed instar aquilæ, illius iuuentus quotidie renouatur. Quis enim Anglorum gentem ab idolorum impio cultu, ad fidem pietatemq; reuocauit? Romani & quidem monachi in eam insulam à summo Pontifice Gregorio missi, quod aduersarij negare non possunt. Quis Francones totamque Germaniã conuertit ad Christũ? Romani. qui misso in Germaniam Bonifacio, quem aduersarij Vinofridum vocant: in illis vastissimis regionibus atque prouincijs, Christianæ fidei fundamenta iecerunt. Quis Vandalos, Bulgaros, Sclauos, Polonos, Danos, Morauos, quàm variæ gentes habitu tam vestis & armis? Hungaros, Transsyluanos conuertit ad Christum? Romani. quod ipsi quoque aduersarij in suis centurijs confitentur. O acutissimos ac Linceos homines, qui huius Ecclesiæ lumen toto terrarum orbe coruscare non videant! sed ambitione, inuidiaque cœcati, eum qui tot gentes, regna, prouincias ab illis idolomaniæ tenebris reuocat, ad Christumque conuertit, antichristum esse contendunt. O linguas impias, ac morsibus præcidendas! O mentes Cimmerijs, vt loquuntur, tenebris atriores.

Ecclesiæ Romanæ vt aquilæ renouatur iuuentus.

Centur. 8. cap. 2.

Hæretici mente cœcati pugnantia loquũtur & scribunt.

res. Itáne miseri, omne veritatis, consilij, rationis lumen abijcitis, vt nullum apud vos humanitatis vestigium superesse videatur? Si nó ad homines, sed ad fungos hæc haberetur oratio: nónne vos pudere deberet? Num Antichristus Dei gloriá quærit? An homines idolorum cultui deditos, reuocat ad Christum? Quis vnquam adeò pugnãtia locutus est? quis ita omne rationis lumen abiecit? Sed bene habet, quod veritatis tanta vis est: vt ea nonnunquam ex inuito pectore erumpat. Proinde barbaros homines atque gentiles, Romanorum Pontificum opera ad Christum constat esse conuersos.

beatus Bernardus qualis.

Quæ cùm ita sint, aduersariorum fumos ac tenebras relinquamus, & ad Ecclesiæ Catholicæ lumina reuertamur. Bernardus, vt ab hoc ordiar, Romanæ sedi quatuor abhinc sæculis adeò deditus, vt nemo de illa melius, aut existimasse aut meruisse videatur, cùm esset monachorum sui sæculi lúmen: primùm in Gallia & Italia, nutantia multa restituit: hinc hæreticorum errorem tum nascentem extinxit, ac exortum schisma compescuit; ad extremũ auctor fuit, vt in Turcas & Mahumetanos Christianus aut armaretur, aut suppleretur exercitus, qui in Asiam traijciens, Antiochiam expugnauit, ipsáque Hierosolyma capta, Mahumetanam perfidiam in Palæstina magnaq; orientis parte deleuit. Longe aliter Lutherus aduersariorum antesignanus (dabis veniam ô Bernarde, si te cum Luthero non tam cõfero,

Collatio.

quàm

quàm compono) Longe inquam aliter aduersariorum antesignanus. Tu Romani Pontificis amicus: iste summus inimicus. Tu in Gallia & Italia multa nutantia restituisti: iste Germaniam euertit. Tu hæreticum Abailardi errorẽ tum nascentem delere conatus es: iste omnem huius sæculi hæresim peperit. Tu exortum in Ecclesia vnum schisma cõpescuisti: iste quantum in se fuit, ex toto terrarum orbe sustulit vnitatem, Ecclesiamque diuisit. Tu populum Christianum in Mahumetanam perfidiam armasti: iste Turcarum Imperatori adeò charus erat, vt ab eo amplissimum munus acciperet. Tu cruce signatis auctor fuisti, vt Hierosolyma capta, perfidiam in oriente delerent: iste in occidente crucis inimicus, scissa ruptaque concordia, quantum in illo fuit, Turcis Ecclesiam prodidit.

Beatus Franciscus nostri ordinis antesignanus, post Bernardũ proximo sæculo & ipse in Aegyptũ accessit, vt Mahumetanos ad Christianam religionem fidemque conuerteret: & quosdam ex socijs, vt idem efficerent, in eam Africæ partem, quæ ad occidentem sita, Oceano proxima est, misit. Hi apud Marrochium Africæ oppidum haud ignobile, verbum Dei ardentissimè prædicantes, gloriosum pro veritate certamen, martyrij laude cumularunt. Ille Dei iudicio ad maiora seruatus, in Italiam redijt: ac post Christi crucifixi stigmatibus insignitus, alio martyrij genere coronatus est. Hic talis ac tantus ordinem suum ante omnia

beatus Franciscus.

Bonauentura in vita S. Francisci.

Romanæ

Romanæ subiecit Ecclesiæ: in qua veritatis domicilium esse cognouerat, vt iam esse nonnullos, qui in eius habitu, impium Lutheri dogma defendant, monstri simile esse videatur. Proximo sæculo S. Vincentius ordinis Prædicatorum cùm innumeris miraculis claruisset; multosque mortuos reuocasset ad vitam, verbum Dei tanto ardore ac efficacia varijs in regnis atque prouincijs prædicauit: vt ab hoc vno viginti quinque milia hominum partim Iudæorum, partim Saracenorum, qui Mahumetanæ impietati addicti fuerant, ad Christianam fidem conuersa esse constet. Multa prætereo, quæ Romanæ Ecclesiæ beneficio, varijs in locis, non olim, sed proximis sæculis instituta fidei Christianæ vel fundamenta iecerunt, vel eam nutantem ac dubiam salubriter erexerunt. Albigenses hæreticos quondam in Gallia potentissimos, armisque religionem diuinitus institutam euertere molientes, quis nisi Pontifex Romanus oppressit, dum per bonos cruce signatos, illam impietatem ita deleuit: vt eius nisi in nostris libris atque monimentis, memoria nusquam extare videatur? Proinde soli Catholici, qui Romani Pontificis auctoritatem intelligentes, illi libenter obtemperant, religionem diuinitus institutam, toto terrarum orbe disseminant: gentiles ac Iudæos ad fidem vocant: hæresim oppugnant: eamque tanquam diaboli seminarium delere conantur. Quid vnquã tale aduersarij præstiterunt? Habent in Germania

Antonin. 3 parte hist. tit 23.

Idem vbi supra.

Albigenses deleti.

mania plerosque Iudæos: habent finitimos Turcas: cui vnquam ex his omnibus, vt ad Christianam fidem conuerterentur, nõ dico, persuaserunt, sed suaserunt? At hoc non est hęreticorum officium. Quod si forte tentarent, cum illis desit Dei verbũ conuertens animas, id præstare non possent. Recte igitur perdicibus comparantur: quę congregant pullos, quos non pepererunt. At contrà Ecclesia Catholica, quæ nouos pullos quotidię parit, nihil potest esse fœcundius.

Quid de nouo orbe ac India dicam? in qua sæculi fine iam proximo, non hæreticorũ, sed Catholicorum opera, singulis annis tot gentilium milia conuertuntur: vt iam primum illud nascẽtis Ecclesiæ sæculum, quodam modo rediisse videatur. Christianam fidem περιπατητικὴν plærique dixerunt: propterea quod eius lumen nunc in hanc, nunc in illã prouinciam deferatur ac trãseat. Et quemadmodum vbique dies non est: sed luci tenebrę, diei nox atra succedit; Ita magna pars orbis, quædam nationes, regna, prouinciæ, Dei iudicio, iusto quidem sed occulto, veritatis luce priuantur. Quid olim Palæstina Aegyptoque preclarius? At nũc iis in locis Mahumetanæ perfidiæ nox atra successit. Quid superioribus sæculis Germania sanctius? Sed nunc mutata sunt omnia; ipsaque fides ac pietas Christiana ex iis locis in Indiam transit. Quid auorum memoria, priusquam obrepsisset hæresis, Gallia melius? Sed nostrum sæculum calamitate fœcundum,

Fides è germania aliisq; prouinciis in Indiam transit.

Galliæ decora.

cundum,tot in hac,quæ quondã monſtra non habuit,portenta produxit: vt Chriſtianã religio iam ludus eſſe videatur. Quis non rideat Abbates & Epiſcopos deſignatos, antequã natos,infanteſque in crepundijs vagientes,de ſacerdotijs ludere? Fœminas, vt cum verbi periculo dixerim,Epiſcopos videmus in Gallia: vt Eleuſinia ſacra Euangelio coruſcante deleta, nunc ab inferis quodã modo reuocata eſſe videantur:fruſtraque ab Apoſtolo dictum ſit: Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, id eſt, μονόγαμον. Et ne iſti græculi iuſtam ridendi anſam habere videãtur: monogamum, ni fallor,ad virilem ſexum referens,ab huiuſcemodi munere fœminas arcuit. O miſeram Galliam,in qua licitum putatur eſſe,quod publicum eſt! Exempla iam fiunt, quæ eſſe crimina deſierunt.

Iudicium incipit à domo Dei.

Dicet aliquis. Num boni in Palæſtina, Aegypto, Germania, Gallia, Britannia nulli ſunt? Nemo qui hæreſim deteſtetur ac fugiat? Nullus qui maiorum veſtigijs inſiſtere? Nullus apud quem ſit Dei metus? Nullus qui illius præcepta ſeruare conetur? Sunt quidem nonnulli huiuſcemodi, à quibus Dei iudiciũ videtur incipere.Ita quondam Beatus Cyprianus: Dominus probari ſuam fa ilã voluit. Et quia traditam nobis diuinitus diſciplinam pax longa corruperat,iacentem fidem,& pene dixerim dormientem,cenſura cœleſtis erexit. Studebãt augendo patrimonio ſinguli, non in ſacerdotibus religio deuota, non in diaconis

Cyprian. ſerm. 5. de lapſis.

fides

fides integra, non in operibus misericordia, nō in moribus disciplina. Sic ille multa Christiani populi dedecora recenset, vt causam subsequentis persecutionis ostenderet. Quid autem refert, à quibus, siue gentilibus, siue hæreticis boni patiantur iniuriam? Vtut est, Christiana religio, in ijs regnis atque prouincijs paulatim emoritur, & in Indiam migrat. Atque vtinam eius lumen retinere possemus: ne primùm in hæreseos tenebras, deinde in atheismi barathrum tā multi homines, qui à cœcis ducuntur imò præcipitātur, inciderent. At iusto Dei iudicio, innumeri ab istis abripiuntur ac pereunt. Caluinistarum quidam antesignani, cū patrum memoria in nouum orbem nauigassent: in easque prouincias nō fidei lumen, sed perfidiæ suæ tenebras intulissent: ab inuicto Catholici Regis exercitu oppressi, iustas suæ temeritatis pœnas dederunt. Itaque noluit Deus, vt illud hæreseos venenum, è Gallia in Indiam serperet: neque illi barbari, ad quos vera religio diuinitus mittebatur, pro fide perfidiam imbiberent. Proinde illi Satanæ ministri non Indos ad fidem vocare, sed in eos sui erroris venena diffundere constituerant: vt eorum symmystæ ac socij, suum doctrinæ genus, quod Galliam euerterat, in nouum quoq; orbem penetrasse gloriarentur. Non ita Romanę Ecclesiæ alumni, qui in vastissimis Indiæ cùm orientalis tum occidentalis regionibus, verbum Dei prædicant: multaque hominum milia singulis

Caluinistæ nuper in nouo orbe deleti.

annis ad fidem salutemq́ue conuertunt.

Ecclesia Catholica omnē hæresim semper impugnat.

Quid quod hæc Ecclesia Catholica non solùm omne hominum genus ad salutem vocat, sed etiam omnē hæresim veritatis inimicā verbi Dei gladio semper oppugnat? Etiā aduersarij vt Christiani videantur, vnam aut alteram hæresim nonnunquam impugnant. Sed sola Rom. Ecclesia omnibus bellum indixit. Quemadmodum enim sol tenebras ferre non potest, sed eas vndiq; pellit ac discutit: sic hæc sola Ecclesia hæresum omnium errorumq́ue caliginem toto terrarum orbe depellit.

Hier. apolo. in Ruffin. & in errores Ioannis Hierosolymit. Episcopi.

Origenis hæresibus tot ac tantis, quantas antiqui Patres memoriæ prodiderunt, per centum sexaginta annos Græcia non reclamauit: sed eius ingenio delectata, illius dissimulauit errores. At Romana Ecclesia vbi in Latinum à

Origenistæ

Rufino Hieronymoq; conuersi libri περὶ ἀρχῶν in lucem ex illis Græciæ tenebris prodierunt, nefaria dogmata ferre non potuit: sed confestim iusto seueritatis vigore condemnans, extinguenda curauit. Omitto minores ac obscuriores hæreses, quæ varijs in locis ortæ, non nisi à Romana Ecclesia oppressæ fuerūt.

hæretici cur Ecclesiam Rom. tantopere oderint.

Hinc illæ lachrymæ, Vatinianumq́ue odium, quo hanc Ecclesiam, omnes omnium sæculorum hæretici prosequuntur. Quæ si illorum dissimularet errores, multo pauciores inimicos haberet. At veritas odiū parit. Fides enim illa Romana, nec vllo errore corrumpi: nec alienam potest dissimulare perfidiam. Olim

Daniel. 13.

pudica Susanna, quia senum impudicitiæ re-

luctata, maritalis thori fidem seruans, illorum turpe facinus improbauit, ab ijs falso adulterij crimine condemnata est: ita Romanæ Ecclesiæ sanctitas, propterea quod hæreticorum erroribus reluctatur, illamque fidem Apostolico quondam ore laudatam, immobili puritate custodiens, hæreticam improbat falsitatē, ab ijs mendaciorum adulterio esse corrupta, falso dicitur. Sed tum vt Danielem illum, qui discussa veritate, falsisque criminibus refutatis, non solùm innocentiam liberaret, verùm etiam improbos calumniatores iusto supplicio afficeret, excitauit Deus: ita nunc Philippum regum omnium maximum propitia nostrique miserta diuinitas excitauit, vt & Romanam fidem supra petrā immobilem Domini voce fundatam, cœlesti virtute defenderet, armisque victricibus hæreticam ac rationis inimicam puniret insaniam. Cuius potentissimi Regis liberalitatem ac magnificentiam cæterasque virtutes alij laudibus in cœlum ferant: integrasque prouincias illius beneficentia subleuatas, laciuiosa oratione describant. Hi proprium Regis officium esse commemorent, facere iudicium & iustitiam: liberare de manu calumniātium vi oppressos, & peregrinis, pupillisque ac viduis, quæ à potentibus facilius opprimuntur, præbere auxilium: reconciliare æmulas ciuitates, intercedere iniquitatibus magistratuum, ac iudicum, infectumque reddere quicquid fieri non oportet. Nobis, quoniam in hunc locū in-

Philippi regis Cath. laus.

cidimus, propositum est nihil eorum in Catholici Regis laudibus ponere, quæ in alijs pene sola laudantur: nihil dicere, quód & de alio posit intelligi.

Illud igitur vnum obiter prædicabo: illud in cœlum ferre conabor, quod is non (vt alij Reges solent, de inani gloria certat, nec suos hosteis, sed Dei reprimens, solamque diuinitatis iniuriam vindicans, eos toto terrarum orbe persequitur. In hoc vnum eius exercitus nō in hac illáue prouincia, sed in Asia, Africa, Europa, nouo orbe fortiter militant, Ecclesiæque Catholicæ, quam vbique oppugnat impietas, illo Imperatore castra defendunt. Quæ si verbis tantùm impugnarent aduersarij, à nostris hominibus, qui multi sunt eruditione doctrinaque præstantes, quorum extant non pauca scripta diuinitus, facile defenderentur. Et nos tela pater, ferrumq; haud debile dextra Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis. At cùm vi & armis, non ratione contendant, ac tanquam sæuisimæ belluæ calcibus & vnguibus dimicantes, incredibili furore, Dei templum euertere moliuntur: officium suum iure Rex Catholicus arbitratur, illorū rabiem coërcere.

Iam dudum, Amplisime Card. salebroso difficiliq; in loco versatur oratio. Sed potentiam illam cum insigni virtute coniunctam, qua Rex Catholicus Deo seruiens, Ecclesiæ Christianæ castra defendit, & veritatis inimicos persequens, impietatem in oriente & occidente

cidente frangit ac reprimit, ex illo diuinæ prouidentiæ fonte manantem, boni omnes meritò laudant atque suspiciunt, improbi iure formidant ac vindicem sentiunt. Testis nouus orbis, vt hinc ordiamur: in cuius tot regnis atque prouincijs, quondam vsque ad nostrum sæculum, ita regnabat impietas, vt et demones in idolis publicè colerentur, et innumerabiles homines, simulachris viles nimirum hostiæ, quotannis immolarentur, et humanis carnibus vesci, vt reliqua sacrilegiorũ genera prætereaam, religiosissimum putaretur. Quæ maiore ex parte, Carolo V. Augusto imperante deleta sunt: illique feri ac barbari homines, pecudum more viuentes, imò demonibus qui Euãgelio coruscante, ex nostro quondam orbe depulsi, in ea loca se receperant, studiosissimè seruientes, iam etsi non Christiani esse, veterem tamen impietatem, cum insigni crudelitate sæuitiaq; coniunctam, repudiare coguntur. Felix necessitas, quę ad meliora compellit.

Quãta impietas quõdam in nouo orbe regnabat.

felix necessitas.

Sed quóniam antiquę illorum impietati patroni non desunt, quorum antesignanus est Roterodamus Erasmus: neminem ad suscipiendam fidem esse cogendum, quósdam in Indiam nauigare, vt barbaris aurum eripiant: aliaque nonnulla in hanc sententiam. Videamus quid et veritas ipsa præscribat, et Prophetarum vaticinio prædicta fuerint, et noui instrumenti authoritate iubeatur. Illud igitur in primis, quod à Fabio dictum est: felices essent artes, si de ijs soli artifices iudicarent. Fa-

teor, Iudæos ipſoſque gentiles, ad ſuſcipiendã religionem noſtram, metu mortis non eſſe cogendos. Quód ſi fieret, pleriq; ficto animo, Chriſti ſacramenta ſuſciperent. Alia eſt hæreticorum cauſa, de quibus modò non agimus: alia Indorũ, qui nondum in Chriſti verba iurarunt. Illi dudum ſuſcepto, hinc abiecto fidei ſacramento, religionem fidemque maiorum adulterare, remq; publicam euertere moliuntur: hi acceptam à maioribus impietatem atq; perfidiam retinere conantes, non ſolùm humanis canibus veſci, ſed etiam idola colere, homineſque demonibus immolare, religioſum putant. Illi cùm iam pridem in Chriſti Eccleſiæq; verba iuraſſent, religionem diuinitus traditam abijciunt, vt impiorum hominũ ſequantur errorem: hi Patrum veſtigijs inſiſtentes, non numina ſed portenta venerãtur. Quid hic facient Chriſtiani Principes? quid Rex ipſe Catholicus? Num in ijs regnis atque prouincijs, quas ei Deus traditas commendauit, tantam inſaniam pati debet: illamq; impietatem, quam abolere poteſt, ſuo calculo comprobare? An illa ſacrilegia non ſolùm prohiberé, ſed etiã ſeueris legibus vindicare? Phrenetici quoque legati, medicorum curæ diſciplinæque traduntur. Proinde optimi Regis officium eſt, quemadmodum hæreſim in Europa, ſic in nouo orbe illa ſacrilegia legibus tollere. At quando docebit Eraſmus quenquã Indorum, ad ſuſcipiẽdam religionem noſtrã, vi & armis eſſe compulſum.

Alia hæreticorũ, alia Indorum cauſa.

Venia-

Veniamus ad Prophetarum oracula, quibus ij, quod futurum erat, multis sæculis antè cecinerunt. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos. Et post hæc mittā eis multos venatores, & venabuntur eos, de omni monte & de omni colle, & de cauernis petrarū: quia oculi mei super omnes vias eorum. Non sunt abscondita eà à facie mea, & non fuit occulta iniquitas eorum ab oculis meis. Curramus per singula. Piscatores quosnam intelligis? Apostolos & Apostolicos viros, quibus à Christo sæpius dictum est: Venite post me, faciā vos piscatores hominum. Num etiā venatores? Non arbitror, nec vnquā me legisse memini, venatores à Christo, in Ecclesiæ nascētis exordio missos esse. Itaq; constat, olim venatores promissos esse, nō missos. Inter venatores autem & piscatores, ni fallor, interest plurimū. Hi enim inermes ac seminudi, quales olim Apostolos fuisse, memoriæ proditū est: pisces non vi, sed varijs artibus capiunt. Illi semper armati lustrant saltus, excutiunt cubilibus feras, montium iuga superant, horrentibus scopulis gradum inferunt, plæraque non solùm insidijs, verùm etiam vi & armis transigunt: vt venatio pugnæ simulachrū esse videatur. Deniq; memoriæ proditum est, infami sæpe delectu, ductas sub signis venatorū cohortes, principū militasse cōuiuijs. Adeò venatores quondam milites existimabantur. Noster quoq; Maro, venantē olim Ascanium aliosq; Troianos inter arma & bella describit.

Hierem. 16
Propheta-rum vaticinia de Indorum conuersione.

Quid, quod hæc experientia iuuentutis, hæc voluptas esse consueuit; his artibus futuri militarium copiarum duces imbuebantur. certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu. Nec piscatores & venatores eodem tempore, sed hi post illos, id est, appropinquante sæculi fine, mittendi esse dicuntur. Itaque in Ecclesiæ nascentis exordio piscatores diuinitus missi, piscium multitudinem in Asia, Africa, Europa captam, in vnius Ecclesiæ nauim, abhinc mille quingentis annis trahunt. At sæculi fine iam proximo, Christi Euãgelium, quod in nouo orbe quondam non fuerat prædicatum, è magna Germaniæ Galliæque parte depulsum: per illos egregios venatores, in Indiæ terras, regna, prouincias, in quibus iniquitas abundabat, vi, vt ita dixerim, illatum est. quo à catechistis accepto, illi barbari ferique homines, pecudum antea more viuẽtes, ab illis venatoribus capti, Catholico Regi, tanquam suo parenti ac liberatori gratias agunt, seque iam accepta fide, Christianos esse lætantur.

Sed fingamus illos nouos piscatores, quos catechistas dicimus, solos, id est, sine illorum venatorũ præsidio, in nouum orbem Indiamque venisse. Quid igitur iis omni humano auxilio destitutis, inter illos barbaros, feros, anthropophagos, si de summo Deo rebusque diuinis verba fecissent, aliud accidisset: nisi vt ii, quod quibusdam in locis nuper factum esse intelligimus, confestim crudelissimè necarẽtur?

tur? Non enim vt Græci, Itali, Galli, Hiſpani, alia Palæſtinæ viciniora prætereo, non inquã vt Europæi homines literis tincti, & Philoſophorum præceptis ita manſuefacti, vt Chriſtianæ fidei candidati quodã modo viderentur: ſic Indi aliquod humanitatis veſtigium retinebant, ſed Cyclopi ſimiles, qui iuxta carmina Poetarum, ſanguine hoſpitũ ac viſceribus paſcebatur: imò velut tigrides ac leones, aliæque huiuſcemodi belluæ, in quoſuis exteros homines crudeliſsimè ſæuiebant. Quod ſi in Eccleſiæ naſcentis exordio, ab ijs qui eſſent & literis tincti, & Philoſophię diſciplinis imbuti, & humanius educati: in illos piſcatores Euãgelijque præcones, adeo crudeliter nefarieq; ſæuitum eſt: quid tandem ab his belluis expectandum erat, quæ hoſpites & crudeliſsimè occidunt & auidiſsimè deuorant, nullumque cibi genus putant eſſe iucundius: illorumque capita inſtar trophei in argumentum laudis & gloriæ, pro domorum ſuarum poſtibus, iaculis aut acuminatis arborum truncis fixa proponunt? Quæ quò plura fuerint, eò ſe magis ob præclaram fortitudinem exiſtimant glorioſos. Quid? quòd cum demonibus, à quibus ſine dubio hæc obſonia & trophea didicerũt, familiariter colloquuntur? Qui dudũ ex noſtro orbe depulſi, ſummo ſtudio, ne Chriſti Euangelium in ea quoque loca deferatur, impediunt. Quicquid autẽ idolomaniæ in multis Aſię, Africę, Europęq; prouincijs olim diſperſum erat: hoc in nouo orbe collectũ ſuperio-

Aeneid. 3.

Indi anthropophagi.

Idolomania noui orbis.

ribus sæculis esse consueuerat. Illic & Pythius Apollo, & Aegyptius Serapis, & latrator Anubis, & Cybele Deûm mater, & Argiua Iuno, aliaq; portenta non numina; vt quicquid impietatis & sacrilegiorum alibi diuisum fuerat: id in his regionibus adunatum fuisse videatur. Quæ cùm ita sint, illorum venatorum ministerium hoc tempore in India nouoq; orbe necessarium esse, perspicuum est. A quibus ad suscipiendam fidem nemo quidem cogitur: sed illa sacrilegia, quæ superius ostẽdimus, armis legibusque prohibentur. Illud omitto, quod, vt habetur in extremo vaticinio, Indi quotidie canunt: Vere mendaciũ possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit: idque tanto feruoris affectu, vt antiqua Germaniæ, Galliæ, Angliæ pietas, iam in nouum orbem translata esse videatur. Ex Indis enim multi quondam Principes ac potentes, omnibus pro Christi amore contemtis, nunc seminudi, vt quondã Apostoli, prouincias illas vastissimas circũeunt, ac Euangelium prædicantes, catechistarum funguntur officio.

Venio nunc ad noui instrumenti lucem, illamque Euangelij parabolam, qua Christianæ Ecclesiæ ex Iudæis & gentibus congregandæ, imago describitur. Simile, ait Christus, factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Multis autem ad nuptias inuitatis, cũ adhuc locus esse nunciaretur: nónne Rex ad extremũ disertè pręcipiẽs: Cõpelle, inquit, intrare, vt impleatur domus mea? Quod

Lucæ 14.

Catholico

Catholico Regi videtur esse præceptum. Qui Deo obtemperans barbaras illas ac feras gentes, dum ab anthropophagia, prophano demonum cultu, cæterisque sacrilegijs reuocat, fidei, vt ita dixerim, candidatas, in magnam Ecclesiæ domum paulatim introire compellit. Quid hac vi leuius cogitari potest, qua in hac mundi senectute, Indorum nouique orbis saluti sic à Catholico Rege consulitur: vt tandem repudiato pristino errore, suo liberatori gratias agant, seque ab illis venatoribus captos, ex illis perfidiæ antris eductos esse lætentur? Ita illi blandam ac sibi salutarem patiuntur iniuriam, seque perfidiæ tenebris erutos gratulantur. Quid oriens? Nónne per Lusitanos nunc Catholico regi subditos, fidei candidatus, antiquum errorem paulatim relinquit ac respuit: nobisque tandem religione coniungitur? Vidimus nuper Iaponiæ regulos aliosq; complures, qui per tot Oceani discrimina, Romam ex alio orbe venerunt. Vicit iter durum pietas. Sed nimis diu dum horrentes Germaniæ & Galliæ tenebras ab hæreticis excitatas fugimus, in India nouoque orbe errauit oratio. Nunc ad id vnde digressi sumus, reuertamur.

Iaponiæ reguli ex India nuper venerunt Romam.

Diximus plurimas nationes ad fidem ac religionem Christianam, Romanorũ Pontificũ opera fuisse conuersas. Sequitur vt de huius Ecclesiæ testium, qui martyres vocantur à Græcis, fortitudine constantiaque dicamus. Hac igitur post miraculorum gloriam, quam nisi

Martyrũ Rom. Ecclesiæ virtus.

nisi diuinitus esse non posse, superius ostendimus, Catholicæ Ecclesiæ fides mirificè cõfirmatur. Hæretici quoque de suorũ martyrijs gloriari solét. Montanistæ Apostolicorũ temporum vicini, quemadmodũm Tertullianus refert, nostris qui intelligebant, à Domino fuisse præceptum: Cùm vos persequentur in ista ciuitate, fugite ad aliam, metum ac timiditatẽ obijcere consueuerant. Ita Marcionitæ quondam & Massaliani. Donatistarum Circumcellionibus, qui mortem non solùm contemnebant, verùm etiã appetere videbantur, nihil olim fortius putabatur. Sed hoc nón erat fortitudinis atq; constantiæ, sed temeritatis, insaniæ, impietatis genus; seipsos præcipitare de montibus, aquis præfocare, in ignem insilire, aliaq; mortis genera sibi adferre, quæ illorum facinora & latrocinia merebãtur. Anabaptistæ quondam læti & canentes ducebãtur ad mortem: nec hoc sæculo minus præfracti, cùm vltimo supplicio publicè in oculis omnium afficiuntur, exultant: cùm in carcere aut noctu moriendum est, lachrymantur. Quid igitur? Num ea est animi fortitudo data diuinitus? Minime verò. Neque illud vltimum pro hæretico errore supplicium, est fidei corona, sed pœna perfidiæ. Scitum est illud Beati martyris Cypriani: Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est. Ad regnum peruenire non poterit, qui eã, quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit: concordes atque vnanimes esse præcepit. dilectionis & charitatis

Tertull. de fuga in persecut.

Epiphan. hæresi 8. Augustin. epist. 68.

Bernard. in cant. serm. 67.

li. de vnit. Ecclesiæ

tis fœdera incorrupta atque inuiolata ſeruare mandauit. Exhibere ſe non poteſt martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc & conteſtatur Apoſtolus Paulus dicens: 1. Cor. 13.
Etſi habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Etſi in cibos pauperũ diſtribuero omnia mea, etſi tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatẽ autem nõ habeam, nihil proficio. Ad regnum cœlorum non poteſt peruenire diſcordia. ad præmia Chriſti pertingere nõ poterit, qui dilectionem Chriſti perfida diſſenſione violauit. Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtijs, animas ſuas ponant; non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ; nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt: coronari nõ poteſt. Sic ſe Chriſtianum eſſe profitetur, quomodo & Chriſtum diabolus ſæpe mentitur, ipſo Domino admonente & dicente; Multi venient in Marc. 13.
nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus: & multos fallent. Sicut ille Chriſtus non eſt, quãuis fallat in nomine illius: ita nec Chriſti videri poteſt, qui non permanet in Euangelij eius & fidei veritate. Tales olim erant Nouatiani, ne noſtræ ætatis hæretici, nouum aliquid adferre videantur. Neq; enim iſti primi ſunt, qui de falſo martyrum nomine gloriantur. Multis abhinc ſæculis, Cataphrygæ, cùm erroris perfidiæque conuicti, noſtris reſpondere non

non possent: cōplures fidei suę testes, qui martyres nominantur à Grecis, se habere dicebāt. Sed Apollinaris: Quid igitur? inquit. Quia multi alij hæretici plurimos martyres proferunt, idcirco veritatem apud eos esse, credendum est? Marcionitæ plurimos martyres habent. Sed quænam apud eos poterit esse martyrij veritas, vbi Christi veritas non est? Quid quod nonnulli hæretici sæculi nostri, vt Crispinus, Foxus, Pantaleon, latrones quosdam, qui ob cædes iniustas, furta, sacrilegia, aliaque crimina iure damnati, pœnas legibus dederūt, inter martyres numerant? O præclaros Christianæ fidei testes, qui omnibus facinoribus flagitijsque cooperti, non pro fide aut perfidia, sed pro certis criminibus è sententia iudicum vltimo supplicio puniuntur!

lib. 5. hist. c. 15. & 16. Ruffin.

At longe aliter in nostris, qui pro veritatis confessione patiuntur, summa innocentia & integritas, cum inuicta patientia certat. Non enim vt alij, temerè se morti obijciūt: sed parati ad reddendam rationem suæ fidei, Deo iudice coronantur. Quid opus est multis? Ad horum sepulchra demones rugiunt, ægrisque remedia conferuntur. Felices, quorū preciosa mors, Dei testimonio comprobatur. Aliorum autē qui extra Catholicā Ecclesiam, sanguinem pro hæretici erroris cōfirmatione fuderunt: quis vnquam diuini testimonij laudem in confessione promeruit? Cuius sepulchrum miraculis illustratum est? Quid, quod nostrorū martyrum sanguis, semen est Christiano-

Ad nostrorum martyrum sepulchra demones rugiunt.

Tertull. in apologet.

ſtianorum? Ita granum cadens in terram, vbi mortuum fuerit, multum fructum adfert. Sic vinea dum ligatur, erigitur, & reciſa non minuitur, ſed augetur: ita Catholicus populus, dũ humiliatur, attollitur, dum reciditur, coronatur. Non ita hæretici veteres aut noui: ſed aut ſponte minuuntur ac tãdem intereũt, vt Marcionitæ quondam & Ariani: aut à noſtris oppugnati, ſæpe delentur, vt Albigẽſes in Gallia Catholicorum armis nuper extincti. Ita Caluiniſtarum, qui nec modò creſcunt, ſed vbiq; minuuntur, memoriam aliquando tandem ita delebit obliuio, vt mundus eos in Gallia tantum potuiſſe miretur. Lutherani quoque non paulatim intereunt, ſed vt quondam Cadmæi fratres mutuis vulneribus ſeſe conficiunt. Adeò hæreticus error diu ſtare non poteſt, ſed vt mendacium, aut ſponte vaneſcit ac defluit: aut à Catholicis oppugnatus, tandem à veritate ſuperatus extinguitur.

Caluiniſtæ nõ creſcũt

Neque Lutherani.

Venio ad magiſtrorum Eccleſiæ Catholicæ ſanctitatem, quæ tanta ſemper fuit, vt mirum in modum cum doctrinæ integritate conſenſerit. Hi ſunt, ait Auguſtinus, Epiſcopi & paſtores, docti, graues, ſancti, veritatis acerrimi defenſores, qui Catholicam fidem in lacte ſuxerunt, in cibo ſumſerunt: cuius lac & cibum paruis magniſque miniſtrarunt. Talibus poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit. Quid quod Bernardũ, Dominicũ, Franciſcum, ſanctos integerrimæque vitæ fuiſſe,

Magiſtrorũ Eccleſiæ Catholicæ ſanctitas.

Auguſt. li. 2. in Iulianum.

Luther. de capt. Babylo. ca. 2. Melancht. in apolo. art. 5. & 27

fuisse,ipsi aduersarij negare nó possunt? Quos igitur illi sanctos fuisse, Deoq; placuisse côcedunt: illos in eiusdem Ecclesiæ Catholicæ in qua & nos sumus;nó in hæreticorũ castris militasse,perspicuũ est. At sine vera fide impos- Hebr.11. sibile est,placere Deo. Constat auté eandé religioné ac fidem, quæ à Catholicis etiamnum retinetur ac colitur,ne in minimo quidé post illorum tempora fuisse mutatã.Illi enim & in Eucharistiæ sacramento Christum adorabant, & beatos cũ Christo regnâtes, quéadmodum & nos facimus,colebant: & septẽ Ecclesiæ sacramenta credebât: & pro defunctis orabant, cæteraq; Catholico more faciebât.Cùm igitur illi Deo in hac religione fideq; placuerint:hãc verã ac diuinitus traditã esse,perspicuũ est. At illos sanctos homines in extremo vitę fine resipuisse,sentẽtiamq; mutasse contendũt.Quod adeò absurdũ est, vt confutatione non egeat. Quis enim hoc vnquam memoriæ prodidit? Quod si ab illis factum esse côstaret, illam religionem ac fidem,in qua Deo placuerant,relinquentes,iã sancti esse desinerẽt. Quid in re adeò perspicua,opus est verbis? veritas stabilis est:mẽdaciũ auté sponte vanescit ac defluit.

Sed in Ecclesia Cathol.multi sunt improbi. Fateor.Num igitur hæc Ecclesia deserẽda est? Genes.8. Minime verò. In arca Noë,quã Ecclesiæ typũ Mali quidã semper in Ecclesia fuisse,non dubiũ est:animalia non solũ munda, sed etiã immunda fuisse, scriptura cômemorat. Cùm igitur in ea essent,serpentes,dracones,lupi, tigrides ac leones, num ouibus,vt salutem

salutē quærerent, in mare desiliendū fuit. Olim Hierosolymis in ipsoq; templo diuino numini consecrato, quædā improbè ac nefariè gerebātur, quemadmodū ex diuinarū literarū lectione perspicuū est. Quid igitur? Num Prophetæ, qui Deo iubente, in illā improbitatē ac idolomaniā quotidie declamabāt: aut ipsi templū illud reliquerunt, aut cuiquā, vt se ab illius cōmunione secerneret, authores fuerunt? Num probis ab improborū consortio separatis conuenticula quædam priuata fecerunt? Sic Euangelio coruscante, illi Bernardi, Francisci, Dominici, quos aduersarij sanctos fuisse concedūt: in ambitionē, auaritiam, libidinem, cæteraq; vicia declamantes ac magnis vocibus perstrepentes: in Ecclesię naui, extra quā salus non est, omnibus manendū esse dixerunt. Igitur non illorū sanctorū, Deoq; placentiū Patrū, sed hæreticorū est, gregē à caulis, plebē à pastoribus segregare, Ecclesiam scindere, cōuenticula noua condere. Multas sui sæculi labes, multa Ecclesiæ dedecora, Beatus Cyprianus, qui vnitatem adeo diligēter cōmendauit enumerat. Quid multis post sæculis, Bernardus, quo nihil vnquā in eo genere Gallia vidit illustrius, nihil sanctius: nónne is ita depingit Ecclesiam, vt illius plagā incurabilē esse fateatur? Olim, inquit, prædictū est, & nunc tempus impletionis aduenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrū, amarior post in conflictu hæreticorū, amarissima nunc in moribus domesticorū. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo eius amarissima.

[Margin notes: 2. Paral. 33. Ezechiel. 8. — Propter malos Ecclesia non relinquéda — sermo. 5. de lapsis. in lib. de vnit. Eccl. — bernardus serm. 33 in Cant. Esaiæ 38.]

Num igitur hic talis ac tantus vir, aut Ecclesiam dereliquit, aut cuiquam, vt illam, cuius plagā insanabilem esse dicebat, relinqueret, aliamq́; meliorē quæreret, suasit? Nihil profectò minus. Ipse quidem, ne illa dedecora videret, se in solitudinē contulit, multisq́; vt idem facerent, persuasit: sed ab Ecclesia nō recessit. Ita sancti Patres semper in Ecclesiæ vnitate manserunt.

Hæresiarchæ omnes pessimi.

Aug. lib. de pastoribus cap. 8.

Contrà hæresum tam veterum, quàm nouarū, antesignani. In primis nō sancti sunt, sed impuri, elati, superbi. Diuersis locis, ait Augustinus, sunt diuersæ hæreses, sed vna mater superbia omnes genuit: sicut vna mater Ecclesia omnes Christianos toto orbe diffusos. Proinde nulla hæresis inuenitur ex intentione & per se inuenta, sed per accidens, ex aliqua mala occasione, vt solent mōstra generari. Simon Magus, hæreticorum omnium signifer, Apostolicam ambiens dignitatē, eam data pecunia emere voluit: repulsamque passus, primam hæresim condidit: vt qui in Ecclesia primus, vel inter primos esse non potuit, extra Ecclesiam primus esset. Valentinus Platonicus ac philosophiæ non ignarus, sperauerat, inquit Tertullianus, Episcopatum, quia ingenio poterat & eloquio: sed alium ex martyrij prærogatiua, loco potitum indignatus, de Ecclesiæ authentica regula abrupit, vt solent animi pro prioratu exciti, præsumtione vltionis accendi. Nec dissimile fuit Marcionis exordium, qui Episcopatum ambiens, vt ait Epiphanius, cùm obtinere non posset, hæresim condidit. Montanus, vt ait Theodoretus, ambitione cœcatus, seipsum paracletum

Tertul. lib. 1. contra Valentin.

Epiphan. hæresi 42.

Theodoret. li. 3. hæret. fab.

cletum vocauit. Arius cùm Alexãdrinæ Ecclesiæ Presbyter, Alexandro Episcopo inuideret, pugnæ materiam quærens, dogmatum impietatẽ inuenit. Eunomiũ, Aërium, Nestorium aliosq; prætereo, qui aut ambitione, aut alio vicio impulsi, varias hæreses condiderunt. Ad nostrũ sæculum venio, in quo mundi fine iã proximo, Lutherus omniũ huius temporis hæreticorũ antesignanus, inuidiæ facibus accensus, propterea quod promulgandarum indulgentiarum munus, nõ sibi aut suis socijs, sed Dominicanorum ordini commissum esset, huius tragœdiæ sumsit exordium. Quod ipse in disputatione, quã Lysiæ cum Eckio non ita multo post habuit, veritate nimirum ex illius pectore erumpente, non obscurè, sed palã, magnaq; voce testatus est: Hæc causa, inquit, nec propter Deum cœpit, nec propter Deũ finietur. Quid opus est multis? A leuibus initijs, ad maiora perfidiæ incrementa peruenit. Nã in epistola quadã ad Argentinenses, scribit, se libenter negaturum, in Eucharistia esse corpus Christi, nisi hoc in scripturis intelligeret, adeò esse perspicuum, vt negare nõ posset. Hac enim ratione multũ detrimẽti se allaturũ esse Papatui. Constat igitur illũ inuidentia & odio impulsum, veterum hæreticorũ, vt superius ostendimus, nõ sanctorũ illorũ patrum, qui Dei gloriæ nihil anteponendum existimabant, secutum esse vestigia.

idem lib 4. hæret. fab.

Cochlæus in gest. Lutheri anno 1517.

Quid illius fastum & arrogantiam referam? Quæ tanta fuit, vt eius cõtubernales atq; symmystæ, hanc ad extremũ ferre nõ possent. Nemo repẽte fuit turpissimus, inquiũt. Proinde iste, qui à

Lutheri arrogantia.

in lib. contra regem Angliæ.

tã leuibus initijs cœperat, tandẽ ſe & ſua, tãta ſuperbia iactat, vt omnes reges, principes, Põtifices dicat indignos, qui ſuorũ calceamẽtorum corrigiã ſoluerent. ſe velint nolint homines, pro ſancto viro haberi velle, nec magni facere mille Cyprianos, Auguſtinos, Hieronymos. Hanc nõ eſſe hominis ſed diaboli vocem exiſtimo. Tigurini Miniſtri quãquã ex illius ſchola tanquã ex equo Troiano prodeuntes, in cũ ita ſcribunt: Prophetæ, inquiunt, & Apoſtoli, Dei glorię, non priuato honori, nõ ſuæ pertinaciæ & ſuperbiæ ſeruiebãt. Lutherus autẽ ſua quærit, pertinax eſt, inſolentia nimia effertur, & in omnibus correptionib. ſuis, plurimũ maligni ſpiritus, quàm minimum vero amici & paterni animi deprehenditur. Caluinũ pene præterij, qui Nouioduni, id eſt, in patria ſua, peculatus ſodomiæq́; conuictus, indulgentia Epiſcopi, cui charus fuerat, vltimũ ſupplicium, quod cõmeruerat, ita effugit: vt illius ciuitatis inſignia, cãdenti ferro humeris impreſſa ſtigmata circunferret. Bezam alioſq́; prætereo: quorũ flagitia ſi enumerare conarer, nunquã exitum inueniret oratio. Cũ igitur ij omnes è Lutheri ſchola prodeuntes, illius venena, quæ ipſi remedia exiſtimant, altius imbibiſſent, mortemq́; niſi virus euomerent, vitare non poſſent: non illo ſaniores effecti ſunt, ſed illius errores, nouorũ dogmatũ, quæ ij poſt excogitauerunt, adiectione cumularunt. Ita fractis ac ſublatis omnibus modeſtiæ repagulis, venenorum per Germaniã, Galliã, Angliam, aliaſq́; prouincias varietate diffuſa, tanta vbiq; peſtis inualuit: vt populorũ à ſe deceptorũ

In reſponſ. ad li. quem Luther. in zuinglium ſcripſerat.

petu-

petulantiā, ipsi aduersarij dissimulare non possint. Lutheri testimoniū ab ipsa veritate extortū est: Mundus, inquit, in dies fit deterior. Sunt nūc homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti & indisciplinati, multoque deteriores, quàm fuerint in Papatu. Testimoniū hoc verū est: & cum illa antiqua sententia cougruit: Aegre reprehendas, quod sinis consuescere. Accedat & alter testis Andreas Smidelinus: Vt totus, inquit, mundus agnoscat, eos nō esse Papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operū nullum exercent penitus. Ieiunij loco, comessationibus & potationibus nocte dieq; vacant, vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubūt & excoriant, precationes vertunt in iuramēta, blasphemias, & diuini nominis execrationes, idq; tam perdite, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur. Demum pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio, atq; hoc vniuersum vitæ genus ab illis dicitur Euangelicum institutum. Erasmus quoq; Roterod. qui & res istorum optimè nouerat, & ab eorum doctrina nō omnino abhorrebat: Circunspice, inquit, populum istum Euāgelicum & obserua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quàm faciant ij, quos detestamini. Profer mihi, quem istud Euangelium ex cōmessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledicto benedicum, ex impudico reddiderit verecundum? Ego tibi multos ostendā, qui facti sunt seipsis deteriores. Hi sunt

in postilla super Euāgel. Dom. 1. Aduētus

Concione 4. in ca. 21. lucæ.

in epist. ad Vulturium Neocomū.

 fructus,

fructus,quos huius noui Euangelij arbor attulit: hæc dulcissima poma, illorũ doctrina produxit.

Dicet aliquis. An non etiam inter Catholicos plærique sunt improbi, auari, libidinosi? Fateor. Nec enim vnquam mali,ne ipso quidẽ Apostolorũ sæculo,in Ecclesia defuerunt. Sed eorũ improbitatis,doctrinæ genus,quod in Catholica Ecclesia traditur,causa non est. Hoc enim licentiam illã, auaritiam, libidinem detestatur ac prohibet. Semen est verbũ Dei,cuius tribus partibus, etiamsi ab optimo agricola satum fuerit, pereuntibus,sola quarta fructificat. Quid igitur mirum, si hoc optimum semen ab improbis, vt fit,negligentius satum,in lolium auenasque degenerat? Quod etiamsi apud aduersarios esset,in viam tamen, spinas, aut saxosa proiectum, fructũ adferre non posset. Nunc autem cùm & ipsum semen adulteratum sit atque corruptum, & cãpus hæresum spinis horreat:quid aliud,nisi quod videmus, expectandũ est? Nisi forte de spinis vuæ, & de tribulis ficus colligi possunt. Hic ordo diuinitus institutus est, vt homo hominem,equus equum,lupus lupũ generet: sibiq; similia cuncta producant. Itaq; viciatum illud semen atq; corruptum,quod ab hæreticis mente corruptis, populo pro verbo Dei obtruditur: quẽ alium, nisi viciorũ omnium & criminum fructum adferre posset? At exempli causa nonnulla ponenda sunt, vt quod dicimus, fiat illustrius. Verbũ Dei est: Obedite Præpositis vestris: vos autẽ hæretici negatis,illis obediendũ esse, dum Petrum Apostolum in ordinẽ redigitis,eumq; Christi vicarium esse

Catholici bona opera suadent

hæretici mala.

Hebr. 13.

esse negantes, illius successoré, antichristum vocatis. Verbum Dei est: Fides sine operibus mortua est. Vos bona opera, vt ieiunia, chamennias aliaq; huiuscemodi deridetis. Verbũ Dei est: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Vos pœnitentiæ hostes, humanæque salutis inimici, fidem nescio quam excogitastis, vobisq; ac vestris stultissimè, cœlorũ regna promittitis. Itaq; væ vobis duces cœci, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec eos qui conabantur ingredi, sinitis introire. Vos igitur Christiani dici vultis: sed estis hęretici. Vos Antichristi antecursores, Christi religionem euertitis, eamque quantum in vobis est, è Germania, Gallia, Anglia sustulistis. Vos vestra deliramenta, ipsamque impietatem Verbum Dei dicitis: ac pereunti mundo pro veritate mendacium, mortem pro vita, pro luce tenebras obtulistis. Vos serpentibus ac draconibus similes, erroris vestri venena vbiq; diffunditis. Vos aranearũ instar, immortale odium nõ modo cum aduersarijs, verùm etiã cum socijs vestris geritis, nullumque in amicis habetis: non viuos, quorum saluti inuidetis: nõ mortuos, quibus ne viui subueniant, impeditis. Sed vt araneæ cum sua tela scoparum virgis nullo negocio detrahuntur: ita vereor, ne Turca furoris Domini virga (quod Deus omẽ auertat) vos cum vestris aranearũ telis, è sublimibus illis, quæ insidetis, laquearibus detractos, tyrannidi suæ, vt Græcos, Hungarosq; subijciat. Sed hæreticorũ fumos omittamus & ad id quod instituimus, reuertamur.

Iacob. 2.

Matt. 3.

Matt. 23.

 Ad

Diuinæ prouidétiæ est, humanæ saluti consulere.

Ad Dei, cuius omnia reguntur arbitrio, prouidentiã pertinet, consulere rebus humanis. Nisi forte iuxta Epicuri sentẽtiam, omnia casu feruntur, Deoq; nihil curæ est. Ita quondã impij quidam: Deus, inquiunt, circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat. Sic & plæriq; Philosophi fortuita multa dicebant. Nescio quis sepulchrum fodiens, casu thesaurũ inuenit. Equus adaquandi causa flumen ingressus, parietis ruina opprimitur, aliaq; nonnulla in hunc modũ. Sed Christiana fides est, nihil casu accidere, nihil esse fortuitum: sed etiam minima quæque, Dei prouidentia gubernari. Quanto magis ea, quæ ad humanã salutem, & ipsius cultũ ac religionem sunt necessaria, ab illo administrantur? Quæ igitur ad fidem pertinent, quemadmodũ non ab hominibus excogitata, sed diuinitus tradita sunt: ita Dei testimonio cõprobentur, necesse est. Alioqui, vt ait Sapiens: Qui citò credit, leuis est corde. Dei est igitur, cùm ipse sit φιλάνθρωπος, humanumque genus errare nolit, id agere, vt fidei veritas ac religio Christiana, sine qua salutem constare non posse, etiã aduersarij confitentur: non in obscuro lateat, sed tot tantisq; rationibus approbetur, vt prudentibus omnibus, qui non facilè fidem accommodãt, credibilis esse videatur. Id in Ecclesiæ nascentis exordio factũ esse, omnes qui Christo nomen dederunt, mihi facilè concedent. At isto calamitoso sæculo, quo scissis multorũ animis, nomẽ Ecclesiæ gloriosum, singulæ sectæ ad se rapere, suoq; conuenticulo arrogare conãtur: vbi sit veritas, fortè videtur obscurius. Fingamus

Iob 22.

Eccl. 19.

Deus vult fidem Catholicam esse credibilem.

igitur hanc non esse perspicuam: sed nescio quibus tenebris inuolutam, varijs in locis esse quærendã. Quis autem eius domicilium melius demonstrabit, quàm ipse Deus: qui illam inter sæculi fluctus ac procellas perire non posse, sed circumlatrantibus inimicis, tanquam inter Scillam & Charybdim, saluam enataturum esse prædixit? Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.

Deus ipse domiciliũ veritatis ostendit.

Matth. 28

Quid illud? quale est, quod Esaiæ vaticinio multis sæculis antè promissum est? In cubilibus, inquit, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci: & erit ibi semita & via sancta vocabitur. Non transibit per eam pollutus. Et hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam. Repetamus singula per ordinem. Qui superiori tempore, diuersis inter idola erroribus claudicantes, draconum cubilia videbantur: Euangelio coruscante, firmo ad veritatem incedent gradu. Proinde in animis gentilium, quos olim varia demonum genera possidebant, in ijsq; tanquam in antris draconumque cubilibus delitescebant, orietur viror calami & iunci, quibus scribatur fides Domini, & in quibus impietate defessa mẽbra requiescant. Et erit ibi semita, quæ gradiẽtes, certo cõpendio ad meliora perducat: Et via sancta vocabitur, ita vt aliqua hæresi vel opinionum errore pollutus, per eam transire non possit. Talis ab initio fuit Romana Ecclesia, hæresim veritatis inimicã, & errorẽ quemlibet ferre non sustinens, sed semper oppugnans. Aliæ vt Antiochena, Alexandrina,

Esai. 35.

cæteræq́; orientis Ecclesiæ, varias hæreses susceperunt:doctrinæq́; genus ab Apostolis traditum, accepto errore mutarunt:Eoq́; factum est, vt sub Turcarũ Mahumetanorumq́; tyrãnide ingemiscentes, à Petro,cui dictũ est: Ego pro te rogaui Petre,vt nõ deficiat fides tua,& tu aliquãdo conuersus, confirma fratres tuos, auxiliũ expectent.

Lucæ 22.

Via salutis ita plana, vt nemo nisi volens erret.

Hæc nobis erit via tam plana, directa, cãpestris, vt nullum habeat errorẽ: & stulti atq; vecordes, dummodo salutis suæ cupidi, parumper attẽderint,per eam ingredi valeãt, præsertim hoc tempore,quo à summis hominibus,in quibus eruditio cum pietate & constantia certat, adeò cõplanata sunt omnia;vt in doctrinæ genere aberrasse, non iam temeritatis ac stultitiæ,sed certæ impietatis ac malitiæ esse videatur.

Ventum est,Ampliss.Card.ad locũ difficilem ac salebrosum,in quo non solùm aduersariorum Scillæi canes, verùm etiam ex nostris, quibus eloquentiæ flumen & concinnæ declamationes placent,nihilq́; gratum est, nisi aures polita oratione demulceat, plæriq; gemino dente me rodent.Cùm enim adeò imperitus nullus sit scriptor,modo concinnum ac tinnulũ aliquid in medium adferat,qui non inueniat lectorem similẽ sui,multoq́; maior sit numerus,Milesias fabulas, Ariosti poëma, Colestinæ tragicomœdiã & Rablesij deliramenta, quàm Platonis libros reuoluentium. In his siquidem difficultas est sudorq́; mistus labori: in illis autem ludus & oblectatio: eos tamen auctores, qui superiorũ diligentiam & acumen imitati,rem Christianam ac Theologicam

gicam diſciplinã certa ratione ac methodo tradiderunt, iure meritoq́; probamus ac ſequimur. Iacet enim oratio, in qua tantùm verba laudantur. Quod ſi aliquis illorũ præſtantiſsimorũ hominum, qui Scholaſtici doctores vulgò dicũtur, orationis genus vituperandum putat, quod minus comptum ac politum eſſe videatur: is meminiſſe debet, eruditiſsimos homines docere, non placere voluiſſe. Ornari res ipſa negat, contenta doceri. Nam ſi M. Tullius Latinæ eloquentiæ parens, in ijs libris, qui ab eo de philoſophia ſcripti, Tuſculanarum quæſtionum vocantur, neſcio quà neceſsitate compulſus eſt, tam multa verborum portenta proferre, quæ nũquam Latini hominis auris audiuit: vt exempli gratia beatitas, quæ à Græcis μακαριότης, & mulieroſus, quod ab ijs φιλόγυνος dicitur, aliaq́; non pauca, quæ nũquam poſteritas ſequi voluit: quid mirum ſi doctiſsimi homines, quibus propoſitum erat, theologiã tradere, non verborum ornamenta ſectari, rẽ maximã vulgari dicẽdi genere tractauerint, vt ab omnibus, quod illi dicebant, poſſet intelligi. Scilicet hoc illis agendum erat, vt dum rem Theologicam exponerent, diuinæq́ue ſcripturæ myſteria interpretarentur, alius quærendus eſſet interpres. Apud Platonẽ dũ Græcè legimus ταὐτότητα, nullus offenditur: quod verbũ ſi in Latinũ conuerteris, ſtatim iſtorum criticorum turba te barbarum perſonabit. Medietatis voce, quæ μεσότης à Græcis eleganter dicitur, Cicero non auſus eſt vti: nec exiſtimauit, vt in plæriſque alijs, hoc verbum vſu poſſe molliri, Μεσότης ἡ ἀρετὴ κακία ὑπερβολὴ

Scholaſtici doctores.

illorum dicẽdi genus minus politum eſſe, non mirũ.

φίλεται, quod eloquentiſsimus vir magis ad ſenſum, quàm ad verba reſpiciens, ita vertit. Modus virtus eſt, vicium nimietas reputatur. quod nos, inquit, vna & breui ſententiola exprimere poſſumus: Ne quid nimis. Ita Ciceronis imitator, verbo quod ille vitauerat, ſibi vtendùm non putauit: ſed maluit aliquid perire de ſententia, ne forte Scillæis obtrectatorum cánibus minus elegans videretur. Non eſt mihi propoſitum agere de optimo genere interpretandi, de quo ſummi & eloquentiſsimi viri multis abhinc ſæculis accuratè ſcripſerunt: ſed Theologiæ magiſtros, à quibus ante ſalebroſa, difficilis, aſpera cóplanata eſt via, neque decuit, neq; oportuit, quicquid iſti critici garriant, aliter dicere. Si quis eloquentiæ flumen & concinnas declamationes deſiderat, legat Tullium, Quintilianum, Plinium, illumq; Demoſthenem Grecæ eloquentiæ principem, in Latinum ſæpe conuerſum: & vt ad noſtros veniamus, Tertullianũ, Cyprianum, Minutium Felicem, Arnobium, Lactantium, Leonẽ, Eucheriũ, Fontidonium, alioſque, quorũ in hoc genere elaborata ſunt plurima. Certè à noſtris ſcholaſticis ita complanata ſunt omnia, vt in re Theologica erraſſe, non temeritatis ac ſtultitiæ, ſed euidentiſsimæ impietatis eſſe videatur. Cùm igitur id & Prophetę vaticinio multis ſæculis antè prędictũ, & ab ipſo Chriſto repræſentatũ fuerit, qui ſe cum diſcipulis ſuis non ad tempus, ſed vſque ad ſæculi finem, futurum eſſe promiſit: humanæ ſaluti non ſolùm illo tempore fuiſſe proſpectũ, ſed quotidie prouideri non eſt dubium. Proinde

vbi

vbi sit veritatis domiciliũ, vbi Christiana fides instituta diuinitus, vbi vera religio, etiã hoc tẽpore, Deus ipse demõstrat, cùm Ecclesiã Christi, quæ vna est, & diuidi non potest, omnium antiquissimã ac primam, Episcoporum successione, miraculorũ gloria, prophetiæ lumine, martyrum sanguine, magistrorũ ac ducum sanctitate, toto terrarum orbe fulgere, perspicuum est. Quæ omnia soli Romanæ Ecclesiæ conuenire, pluribus verbis superius ostendimus.

Hanc igitur cũ aduersariorum conuenticulis conferamus, Illam antiquissimã, abhinc amplius mille quingentis annis cœpisse, manifestum est. Lutheri & Caluini, quos nominare, pollutio est, dogmata & conuenticula nuper exorta sunt. Illã errasse aduersarij dicere possunt, docere nõ possunt: ab istis relicto veritatis fonte, innumeros errores in Germaniam, Galliam, Britanniam, aliasque prouincias, inuectos esse, meridiana luce clarius est. Illius religionem ac fidem cum antiquissima consentire, conciliorum auctoritas & Patrum omnium scripta testantur: isti nouatores ab omnibus concilijs, quorũ in Ecclesia semper summa fuit auctoritas, Patribusq; dissentiunt. In illa successio Episcoporum idem sentientium, non esse mutatũ doctrinæ genus ostendit: apud istos, qui à se ipsi cœperũt, nulla successio est. Illa nõ solùm antiquissima est, verùm etiã in Asiam, Africam, Europã, nouum orbem, vt instituta diuinitus ac supra petrã, Domini voce fundata penetrauit: isti vix vnã aut alterã prouinciam, nec eam totã, imò ne vnã quidem villulam occupauerunt.

Antithesis Ecclesiæ Cathol. & hæresum

uerunt. Illa miraculis clara, tantoque Dei testimonio gloriosa, signis coruscat, cæcorum oculos aperit, surdis auditum, claudis recte gradiendi reddit officium, ad vitam mortuos reuocat: isti hoc Dei testimonio destituti, contrà de videntibus cæcos, de viuis mortuos faciunt. Illa gentilium salutem sitiens, tot barbaras nationes, ad Christianam religionem fidemq; conuertit: isti non Iudæos aut Ethnicos ad vitam vocant, sed conuersos euertunt, ac nostra suffodiunt, vt sua ædificent. Illa martyrum, ad quorum sepulchra dæmones rugiunt, omniumq; morborũ genera curantur, numero gloriosa, illorum virtutem atq; constantiã iure laudat ac prædicat: pro istis pauci quidam ita occisi sunt, vt eorum obscura mors, nullis nobilitata miraculis, non sit corona gloriæ, sed pœna perfidiæ. Illa nihil absurdum aut rationi repugnans docet: ab istis multa non solùm impia, verùm etiam turpia, execranda, falsa traduntur.

Quæ cùm ita sint, quis istos, qui hũc Ecclesiæ fulgorem toto terrarum orbe radiantem videre non possunt, cœcos esse non intelligat? Quid potest esse tam clarum? Quid adeò euidens atque perspicuum, quàm in Romana Ecclesia, quæ sola tot tantisq; Dei muneribus, vt superius ostendimus, gloriari potest, esse domicilium veritatis?

Fides, Dei donum. Sed fides, Dei donum est, quo isti nimirũ superbi, ne quid amplius dicã, iure meritoq; priuãtur. Christo docenti, suamq; doctrinam tot tantisque miraculis confirmanti, sacerdotum principes

Ioan. 2. non credebant. Animalis homo non percipit ea,

quæ

quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi. 1. Corin. 2.
Proinde minime mirū est, istos nobis nolle credere, Imò mirum esset, si crederēt. Quod vt perspicuum esse posit, nonnulla dicemus, fortasse minus disertè, sed tamen vt res posit intelligi. Animæ vires, quæ à Græcis δυνάμεις dictę, à nostris potentiæ vocantur, quo altiores sunt, eo magis penetrant. Intellectus propterea quod est summa animæ potentia, plurima intelligit. Externi sensus, qui ab illis αἰσθήσεις dicuntur, cùm infimum locum obtineāt, res crasius capiunt. Oculi solùm de coloribus, aures de sonis iudicant. Cōmunis sensus cùm sit aliquanto altior: inter colores, sonos, odores, sapores discernit: quod neq; linguæ, neq; oculi, neq; auris officium est. Phantasia quam vocant, altior sensibus, comprehēsorum genera cōtemplatur. Hinc existimatiua vis altius fertur: ac res, quæ sensibus non comprehēduntur, intelligit. Quo in genere sunt amicitiæ, inimicitiæ, odia, cæteraque huiuscemodi, quæ sub sensum non cadunt. Ad extremum est intellectus, alijs excellentior atq; sublimior: qui cùm virtutes omnes ac potentias inferiores in se complectatur: etiam aliquid amplius in se continet: quod ad ipsam rerum naturam essentiamq́; perueniat. Altior est fides, quæ multò plura, quā illud naturæ lumen intelligit. Quorsum hæc tā longo repetita principio? Vt intelligatur esse quosdam, atq; vtinam pauciores, qui summa illa animæ potentia in corporis sensus abiecta, vt bruta animalia viuunt. Quemadmodū enim illa solis corporis sensibus seruiunt: ita hi tanquam

hæreticos nolle credere, non est mirum, imo mirū esset, si crederent.

Sensus

intellectus.

Fides.

bestiæ

beſtiæ vltra ſenſus nunquã eleuantur. Animalia neq; odore neq; ſapore propter illa capiuntur: ſed tantùm vt comedant, ac voluptati ſeruiant. Ita homines corporis ſenſibus ſeruientes, intellectum ſuum externis ſenſibus ſubiecerunt, ac vt ita dixerim, in beſtias degenerarunt. Viuunt, vt bibant, non bibunt, vt viuant: ſæpiuſq; vt porci, in cœno libidinis volutantur. Alij ex iſto luto videntur emergere: ſed quoniam pecuniæ ſeruiunt, neq; quicquam nummis præſtantius arbitrantur: intellectum ſuum vni auaritiæ ſubdiderunt. Alij hunc in honorũ ac dignitatum ambitione ponentes, nihil aliud imaginantur, atq; ſuſpirant. Alij vt Philoſophi, & huius mundi ſapientes in naturalibus collocarunt, nec vllam rem, niſi quam ratione comprehẽdere poſſunt, admirantes, ſupernaturalia & diuina derident. Alij intellectum ad ſupernaturale fidei lumen eleuant, ſed quoniã in viciorum tenebras ſæpe labuntur & corruunt: illa fides informis recte mortua dicitur. Alij formatæ fidei ſuſcepto lumine, Deum ſuper omnia diligunt, ac in vera luce verſantur. Proinde quemadmodum mirũ non eſt, ſi ſenſus non intelligunt, quæ ſuperior animæ potentia, quæ ab ijs φαντασία vocatur, intelligit: ſi hæc potentia non cognoſcit ea, quæ æſtimatiua vis aſſequitur: ſi hæc aſſequi non poteſt, quod humanus intellectus agnoſcit: ſi ipſi mortales homines neſciunt, quæ Angeli & Beati ſciunt, qui cum Deo regnantes, in illa clariſsima diuinæ viſionis luce verſantur: ita minime mirũ eſt, ſi homines quidã impuri, prophani, libidinis ſerui, omniumq; vi-

 ciorum

ciorum tenebris inuoluti, qui externis ſenſibus dediti,ac pecudũm more viuentes,mentis oculũ ad clariſsimũ fidei lumẽ eleuare nõ poſſunt.Nõ eſt igitur mirũ,ſi huiuſcemodi homines, aut fidei lumẽ amittũt,quod antè ſuſceperãt,aut in variarũ hæreſum barathrũ deuoluti, in cõtinuo errore verſantur.Quis auarũ, cuius vnicum ſtudiũ eſt pecuniam facere, fidei, quæ illius cupiditatẽ damnat,lumen horrere,miretur? Quid nõ mortalia pectora cogis,Auri ſacra fames?Quis ambitioſum nihil aliud, niſi ſæculi dignitates honorumq; culmina cogitantẽ,credere nolle miretur? Quis mundi ſapientem, ſuperbũ ac tumidũ, cui nihil probabile videtur, niſi quod humana ratione cõprehẽdit, Chriſtianæ ſimplicitatis ac fidei deriſorem eſſe miretur?Fides eſt Dei donũ:quo illi homines voluptatibus,libidini,auaritiæ, luxui,ambitioni,cæteriſq; vicijs dediti, iure priuãtur.Beatus homo,quem tu erudieris Domine,& de lege tua docueris eum. Pſalm. 9

At aduerſarij ſe & Dei verbũ habere,& θεοδιδάκτους eſſe contendunt. Habent quidẽ ſcripturæ volumina:neq; iã illud vrgeo,hæc nõ vno in loco eſſe corrupta. Proinde vt ait ille,de ſui ſæculi hæreticis,legem per verba legis impugnant. Sed hæc omnia prætermitto. Fingamus igitur apud illos,puram,non adulteratam eſſe ſcripturã. Nũ huius lectio fidem tradit?Minime verò,ſed fides Dei donũ eſt:Dei inquã,donũ eſt. Lucianus,Porphyrius, Iulianus Auguſt. alijq; innumerabiles, qui diuinæ ſcripturæ libros accuratè peruolutarunt,num habuerũt fidẽ? Nihil profectò minus:

ſed iis illa Dei verba in laqueum, quo caperentur, fuiſſe, non dubiũ eſt. In omnibus rebus ſemper aliquis eſt laqueus, in quem ita incidunt improbi, vt ab ipſo Deo capti deluſiq; videantur. Non agam obſcurè. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Cur igitur alio loco ſcriptum eſt? Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tẽtationem animæ hominũ, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Quis ſerpentiũ genera non odit? Cur, aiunt nonnulli, ſerpentes Deus condidit? Omnis creatura Dei bona eſt: ipſæque viperæ à Deo conditæ fuerunt, vt per illam creaturarum varietatem, infinitã creatoris ſapiẽtiam diſceremus. Sed improbi in bonam Dei creaturam, tanquam in laqueum incidentes, ſæpe capiuntur: ſeq; ex illo laqueo extricare non poſſunt. Ita diuinæ ſcripturæ bonis Deumque timentibus, in adiutorium atque ſolatium: malis ac veritatis inimicis in laqueũ eſſe conſueuerunt. Arius cùm eſſet improbus, Alexandrique ſui Epiſcopi odio arderet; illo Chriſti verbo: Pater maior me eſt, tanquam laqueo captus, hæreſim condidit, multoſque ſui ſimiles, in eundem errorem trahens, iiſdem laqueis implicauit. Iulianus Aug. quem apoſtatam dicimus, Chriſtianæ fidei veritatem conatus euertere, cùm apud Matthæum Ioſeph virginis Mariæ ſponſum, filium Iacob, apud Lucam, Heli filium legeret, laqueo captus, Euangeliſtas dixit eſſe diſcordes. Proinde hac διαφωνία poſita, Euangelij corruere veritatem. Sic impij præter opinionem in laqueos incidunt, ipſiſque Dei verbis, quæ pijs vitam adferunt, præcipitantur

Laqueus in omnibus rebus.

Geneſis 1.

Sapien. 14.

Dei verbũ bonis in ſolatium: malis in laqueum.

turis in mortem. Quid opus est multis? Illa Christi sententia, quia dicebat: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: quid dulcius poterat esse? quid planius? Attamen Capharnaitis, nonnullisque ipsius Christi discipulis laqueus fuit, quo illi implicati, fonte veritatis omisso, vitam improbi reliquerunt. Durus est, inquiunt, hic sermo, & quis potest eum audire? Ita nostri sæculi hæretici, in hos laqueos incidentes, fidei lumen amittunt. Lutherus illorum antesignanus, hominem ex fide, sine operibus legis, iustificari legens, bona opera sustulit: cuius absurdam impiamque sententiam multi ei similes libenter amplexi, laqueos illos Euangelicam libertatem esse existimant. Quid ijs hominibus facias, qui pro luce tenebras, mortem pro vita, pro veritate mendacium amplectentes, in mille errorum laqueos, iusto Dei iudicio, sed occulto, præcipitantur & corruunt? Putant isti cœci, se lynceos habere oculos, clareque perspicere, quæ hactenus orbis videre non potuit. Sed eos Harpastæ, cuius Seneca mentionem facit, quàm Lynceo similiores esse existimo. Harpasten, inquit Seneca, vxoris meæ fatuam, scis hæreditarium onus in domo mea remansisse. Hæc fatua subitò desijt videre. Incredibilem tibi narro rem, sed tamen veram. Nescit se esse cœcam: subinde pædagogum suum rogat, vt migret: ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum. Cœci tamen ducem quærũt. Nos sine duce erramus. Et paulò post:

Ioan. 6. ... / ... / Rom. 3. / Seneca lib. 6. epist. 51.

post: Quid nos decipimus? Non est extrinsecus malũ nostrũ: intra nos est: in visceribus ipsis sedet. Et ideo difficulter ad sanitatẽ peruenimus, quia nos ægrotare nescimus. Non ita quondã regius vates, qui confidenter Domino loquebatur:
Psalm. 50. Iniquitatem meam ego cognosco; & peccatũ meũ cõtra me est semper. Qui malũ suum intelligens, illud etiã confitebatur: Deo rectè dicebat:
Psalm. 118 Lucerna pedibus meis verbum tuum. Qui autẽ illi fatuæ similes, se nesciunt esse cœcos; non ijs lucerna, sed laqueus, Dei verbũ est: nec illi scripturas peruolutando, à sua cœcitate curantur, sed in densiores tenebras incidunt. Itaq; fides non scripturæ, sed Dei donum est.

Sed vt hoc facilius intelligi posit: animaduertendum in omni creatura, tria inesse, naturã; virtutem, quæ à Græcis δύναμις dicitur, & operationem; quorum vnum pendet ex altero. Qualis est igitur vniuscuiusque natura, talis est ipsius dynamis, siue virtus, & operatio. Si quis à terræ vel aquę elemento calorem petat: nonne id stultum videretur? Si quis ab igne frigus aut humorem: quid aliud responderent hæc elemẽta, si loqui possent: nisi hanc eorum non esse naturam, ideoq; à se nõ posse præstari? Si quis oculo diceret, audi sonos: auribus, vide colores: respõderẽt, hoc sibi natura non esse insitum. Ita non diuinarũ literarum lectionẽ: sed aliud, quod isti maxime oderunt, id est, bonum vitę genus, fidei lumẽ adferre, manifestum est. Quanto intellectus est purgatior, tanto plura cognoscit. Vnumquodque quò purius est, hoc magis ad finem suum tendit.

In omni creatura tria sunt.

Terra quo purior est, eo magis appropinquat centro. Ignis quo purior est, eo magis ad suũ elementũ accedit. Intellectus autẽ ad veritatẽ tanquam ad suum finẽ fertur. Quo igitur purgatior fuerit, eo magis veritatem intelligit. Nihil autem est, quod intellectum magis purget, quàm vita Christiana. Quo igitur purius viuitur, hoc magis veritas intelligitur. Proinde si vitam Christiano homine dignam duxeris, illud cœleste lumen accipies. Exortum est in tenebris lumen rectis corde. Hanc sententiam Christus ipse cõfirmat: Qui fecerit, inquit, voluntatem eius qui misit me: cognoscet de doctrina mea, an ex Deo est. Nõ ait: Scripturæ lectio vos ad veri cognitionẽ adducet, aut fidei lumen infundet: sed qui fecerit voluntatem eius qui misit me. & quæ sequũtur. Et alibi: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, vos cognoscetis veritatem, Et veritas liberabit vos. Quid apertius dici potest? Alijs autem cur non crederent, causam ostendit: Vos, inquit, non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt. Credentes ouibus comparat Christus, quod animal simplex & innoxium, vocem pastoris audit. Longe aliter lupi pastoris inimici, qui capita alta ferentes, in cœlum vlulare consueuerunt.

Intellectũ maximè purgat vita Christiana

Psalm. 112

Ioan. 7.

Ioan. 8.

Ibidem 10.

Credentes ouibus cõparantur.

Lupi similes hæretici

Ita nostri sæculi hæretici, summi Pastoris inimici; quos omnes superioris vitæ turpitudo & vetus præcipitauit impietas. Ex hoc enim fonte totius hæreticæ prauitatis error manat & profluit. Si sermonem, inquit, meum seruauerint, & vestrum seruabunt. Si meæ voci obedientes fue-

rint, ait Christus, meaque præcepta seruauerint, etiam vestra seruabunt, nec Ecclesiæ mādata calcantes, illius deserent vnitatem. Sola enim vitæ impuritas homines in errorem trahens, eos in hæreses pronos, ac schismatis socios facit. Neque
1.Tim.1. enim alij, Apostolo teste, nisi bonam conscientiā repellentes, circa fidem naufragauerunt, vt Hymenæus aliquis & Alexander, quos à se nimirum ob improbitatem Satanæ traditos esse commemo-
1.Corin.11 rat. Oportet, inquit, hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis: id est, vt ij qui boni ac iusti sunt, hereticasq; nouitates fugiunt, eorum virtus atq; constantia, ab omnibus cognoscatur.
1.Ioan.2. Contrà Ioānes Apostolus de quibusdam improbis: Non erant, inquit, ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Si viua & electa membra essent, habentes hoc signaculum, recedat ab iniquitate omnis qui inuocat
2.Tim.2 nomē Domini. Quid quòd Dominus cum istos nouatores venire permittit, suorum fidem atque
Deut.13. constantiam tentat? Si surrexerit, inquit, in medio tui Propheta & dixerit tibi: Eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: nō audies verba illius, quia tentat vos Dominus, vt palam fiat, vtrum diligatis eum ex toto corde vestro, an non. Hæreticum doctrinæ genus, errorq; in religione consurgens, nihil aliud est, nisi certa tentatio, quā Deus populum examinās, singulorum erga se dilectionem probat. Proinde qui Deum diligunt, ij in audita fide Catholicaq; religione constantes, immobiles perseuerāt. Qui autem amori Dei, honores sæculi, aut corporis
volu-

voluptates anteponunt: ij soli in hæresim incidunt, ac errore decepti, tanquam inanes paleæ tempestate rapiuntur. Quod cùm ipse Saluator non obscurè, sed clarissimè prædixisset: Multi, inquit, pseudoprophetæ surgẽt, & seducent multos, tum terribilem illam, vt ait Basilius, sententiam adiecit: Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Seducentur multi, quia multorum charitas refrigescet. Quod si paucorum & non multorum refrigesceret charitas, pauci tantùm seducerentur. At sæculi fine iam proximo, instabunt, vt ait Apostolus, tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, proditores, proterui, tumidi, cœci, voluptatum magis amatores, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autẽ eius abnegãtes. Ex quo perspicuũ est, quales homines futuri essent, qui resisterent veritati.

Matt. 24.

Epist. 77.

2. Tim. 3.

Sed quod è scripturarum luce monstrauimus, id & Patrum sentẽtijs approbemus, & ad extremum illustremus exemplis. Basilius magnus, cũ Arianos, Macedonianos, Eunomianos, cæterasq; sui sæculi pestes, adeò grassari miraretur, in eaq; animi iactatione diu fluctuaret: Istorum, inquit, malorum causam anxie inuestiganti mihi, tandẽ venit in mentẽ illud libri Iudicum: Vnusquisq; quod sibi rectũ videbatur, illud faciebat: simulque etiam causa, cur id ita fieret, declaratur, his verbis paulò superius positis. In diebus illis non erat rex in Israel. Horũ igitur cùm mihi in mẽtem venisset, illud etiam de rerum statu, in quo

In tractatu de iudicio Dei seu prooemio in libros moralium

nunc sumus, cœpi cogitare, quod ex aspernatione rerum omnium præpotentis regis & Dei, magna hodie in Ecclesia esset excitata dissensio; quod scilicet relicta vnusquisq; Christi doctrina, rationes ac regulas quasdã proprias sibi auctoritate afferat: malitque contra Domini præcepta ipse imperare, quã illi parere. Eodẽ modo Chrysostom. Si opera, inquit, iustitiæ facimus, nec ab vllo errore decipimur, & ipsi omnem aduertimus errorẽ. Nam ipsa res facit errare, quæ facit alterius errorem non cognoscere. Nam qui non cognoscit mendacium alterius, suam non intelligit veritatẽ. Ergo quamdiu bona opera facimus, ipsum lumen iustitiæ ante oculos nostros adaperit veritatem. Sic & peccata, peccantium sensus tenebrescere faciunt, vt non videntes mendaciũ, cadant in illud. Nam & ab initio non error diabolicus fecit homines malos, sed homines mali, diabolicum sibi fecerunt errorẽ. Prius enim peccatis plurimis excœcatur homo, & sic diaboli seductione seducitur, & cadit in mortem. Quẽadmodum enim sole manente nõ præualet nox, sic quãdiu lumen iustitiæ in homine fuerit, tenebræ erroris eum non apprehendent. Ita & Augustinus. Ex ijs hominibus hæretici fiunt, qui si in Ecclesia permãsissent, nihilominus errarẽt, id est per sceleratam vitã perirent. Et alibi: Si nubes, inquit, generaliter Prophetæ intelliguntur, siue boni, siue mali, qui etiã pseudoprophetæ nominantur, sic ordinãtur à Domino Deo pseudoprophetæ, vt de his laqueos super peccatores pluat. Non enim quisquã in eos sectandos incidit, nisi pecca-

Homil. 19. operis imperfecti in Matth.

De vera relig. c. 8. in Psal. 10. in illud Pluet super peccatores...

toris: siue ad præparationem extremi supplicij, si perseuerare in peccando maluerit: siue ad dissuadendam superbiam, si aliquando Deũ cura sinceriore quæsierit. Nec Prophetæ tantũ, sed omnes verbo Dei animas irrigantes, nubes dici possunt: qui cũ male intelliguntur, pluit Deus super peccatores laqueos. Cùm autem bene intelliguntur, fœcundant pectora piorum atq; fidelium. Sicut exempli gratia quod dictum est: Et erunt duo in carne vna. Si ad libidinem quisque interpretetur, pluit laqueum super peccatores. Sin autem intelligas, sicut ille qui ait: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia, imbrem pluit super fertilem terram. Eadem auté nube, id est, diuina scriptura, vtrumq; factum est. Itẽ Dominus dicit: Nõ quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit ab ore. Audit hoc peccator, & gulã parat voracitati, audit hoc & iustus, & à ciborũ discernendorũ superstitione munitur. Sic & B. Cyprianus: Nemo, inquit, existimet, bonos posse de Ecclesia recedere. Triticũ nõ rapit vẽtus, nec arborẽ solidã radice fundatã procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione vertuntur. Nostri temporis hæresiarchæ omnes flagitiosi & perditissimæ vitæ homines erãt. Lutherus, Bucerus, Petrus Martyr, Oecolampadius, monachi apostatæ erãt, incæstisque nuptijs sese contaminarant. Caluinus Nouioduni peculatus sodomiæque conuictus, Episcopi indulgentia dimissus est. Beza beneficijs suis bis diuenditis, ex agro Parisiensi Geneuam profugit, homo ita flagitiose turpis,

lib. de vnit. Ecclesiæ.

Bolsecus in gestis & vita Caluini.

vt versibus editis, impudicitiæ suæ testem, orbẽ habere voluerit. Reliqua hæresiarcharum monstra prætereo: quæ tam execranda, tam turpia blasphemiarum genera, in totam Ecclesiam Christianam, in diuos cum Christo iam beatos, in ipsum Deum ore sacrilego vomunt: vt eorum recordatio, certa pollutio esse videatur. At quid aliud ab impijs hominibus expectandum est; qui paulatim in pecudes belluasq; degenerant, inde omne hominum genus in eandem atheismi foueam nõ ratione, sed vi & armis præcipitare conantur? Vincitur oratio rei magnitudine, & in hæreticorum sæculi nostri impietate, perfidia, audacia describenda, minus est omne quod dicitur. Quis enim adeò facundus existet? quæ oratio tantæ copiæ vbertate decurrens: vt illa sacrilegia, quibus isti scilicet Christiani, Turcas ac barbaros omnes, immanesque illas bestias, Nerones, Decios, Maximinos, nõ semel, sed sæpius impietate sæuitiaque vicerunt, possit exprimere? Vbi nunc est Demosthenis torrens? Vbi diues lingua Ciceronis? Iam in tantis criminibus explicãdis, muti essetis ambo: & vestra quanquam disertissima lingua torpesceret. Admissa sunt ab hæreticis nostro sæculo crimina, quæ nullius oratoris facundia exprimi possunt. Quæ cùm ita sint; vellem Amplissime Card. si fieri posset, rei magnitudinem non æquare, sed adumbrare dicendo. Sed quoniam sentio quàm parum in me sit facultatis & cõpiæ, finem faciam, necesse est. In extremo tamen, Catholici regis virtutem atq; constãtiam, quã huius Ecclesiæ, in qua est domiciliũ

veritatis,castra defendit,præterire non debeo.

Bellum sacrum à Philippo quondam Macedonum rege, Alexandri nondum magni patre, in impios ac sacrilegos susceptum, historiæ prodiderunt. Philomelus quidam Phocensis, improbitatis extremæ, quales sacrilegi esse cõsueuerũt, Delphicum Apollinis templum occupauit, spoliauit, incendit. In quem Locrenses primũ arma corripiunt, bellumq; pro Deo gerere constituũt. Cum ad manus ventum esset, Philomelus sacrilegorum dux, in acri pugna multis vulneribus affectus, in locum, vnde non posset euadere, ab exercitu victore compulsus, se inde præcipitem dedit, & ad eum modum, persoluta Deo pœna debita, extinctus est. Onomarchus Philomelo succedens, ac bellum sacrum instaurans, ad extremum victus, ad Philippum adductus est. Qui diuinæ vltor iniuriæ, sacrilegorum ducem, in crucem tolli: eius autem milites in profluentem ligatos abijci iussit, memorabili exemplo: ne illorum, qui cum Deo pugnasse existimabantur, sepulturæ locus, vsquam extaret. Ita sacrilegi impietatis suæ pœnas dederunt. Philippus autẽ, qui Apollini subsidium tulerat, post illud præclarũ facinus, non solùm in dies, res suas auxit, verùm etiam pietatis suæ beneficio, paulò post totius Græciæ Imperator appellatus, suum regnũ, omnium, quæ essent in Europa maximum ac amplissimum effecit: filiumque Alexandrum, cui non modò Græciam, sed etiam orientis imperium Deus concederet, hæredem habuit. Tantum olim pietas etiam falsa, Dei iudicio valuit.

bellum sacrum.

Diodorus Siculus lib. 6.

tantum diuinitatis opinio vindicata profe-
Neque enim in ipsis dijs gentium, qui cum [illegible]
Deo colebantur, blasphemiam nominis [illegible]
re potuit summa diuinitas. Illi certe [illegible]
sed dæmonia erant: attamen huiuscemodi [illegible]
latrocinia, sed sacrilegia, in contumeliam nomi-
nis Dei, veræque diuinitatis iniuriam redund-
bant. Quod rei alioqui forsan ambiguæ demon-
strauit euentus.

Philippi Regis Catholici victus. Quæ cùm ita sint: in longe meliori causa ho[c]
tempore Philippum Regum omnium maximũ
tanquã Herculem quendã mõstrorumq; domi-
torem, & propitia nostriq; miserta diuinitas ex-
citauit, & ad tantum potentiæ culmen euexit, &
in hanc seruauit ætatem; vt tyrannos ac veritatis
inimicos, qui antichristo impiè nefarieque fœ-
derati, Dei templum in Gallia Belgica inferio-
rique Germania euertere moliebantur, cœlesti
virtute prosterneret: ac fide, iustitiaque sequo-
cata, Christianam Rempublicam nutantem, ma-
gnaque ex parte collapsam, in his regionibus ad
Aquilonis frigora pertinentibus restitueret. Et
sicubi adhuc in longinquioribus terris aliqua
obuersatur obscuritas, aut residuus nescio quis
in insulis vndarum pulsus immurmurat, ne-
cesse est tamen, breui dilucescat & sileat. Pax
ab hæreticis vi & armis extorquenda, non vt
nuper in Gallia vidimus, pactione parienda est.
Proinde veritas cùm acerrimè iampridem à va-
rijs hostibus se oppugnari vexarique sentiret:
hinc hæresim, inde magiam instare: ab his iura
omnia diuina & humana calcari: ab illis Eccle-

siæ censuram, quæ maiores quondam in officio
continebat, irrideri, remq; sacrosanctam, quæ solebat esse formidini, nunc esse ludibrio: ad potentissimi regis, cuius alumna semper fuit, sua
vulnera ostendens, multis abhinc annis necessariò confugit auxilium: se ab æmulis fœde laceratam, è Gallia, quæ quondam monstra nó habuit,
Germania, multisq; alijs regnis atque prouincijs
indigne pelli questa, eius opem ac fidem implorans: Ego, inquit, illa, quam ex purissimo Spiritus
sancti fonte diuinitus haustam, Catholicæ Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ, Apostoli propinarunt: Hæc mihi soror est: hæc indiuidua comes:
huius penetralia vsq; ad sæculi finem, mihi Deus
ipse assignauit hospitium, nec vnquam huius limê egredior. Hic est fons incorruptus ac purus:
hic domicilium fidei: hoc Dei templum. Ad hãc
quicunque non venerit, vel ab ea si quis exierit,
prophanus est, impius est, hostis est. Ecclesia enim ab Apostolis: Apostoli à Christo: Christus à
Deo tradidit. Ex illo clarissimo diuinitatis fonte
nostræ fidei riuulus manat & profluit. Quod innumeris argumẽtis ac testimonijs, quæ hoc loco
recitare, superuacaneum est, ita doceri potest, nihil vt magis possit esse perspicuum.
¶ Attamen æmulus veterator & callidus, qui
omne humanũ genus à veri studio semper auertere ac detorquere conatur: per ministros suos,
quos vel nominare pollutio est, blãditur, vt fallat: arridet, vt sæuiat: illicit, vt occidat: & vbicunque facultas datur, pro luce tenebras, mortem
pro vita, pro antidoto venena diffundit, videlicet

licet, vt lucrosius pereat. Istis autem Sata ministris, qui me non solam, sed mecum nu eclesiam oppugnant, multis abhinc sæculis, à stris aduocatis dictum est: Qui estis? Qu do & vnde venistis? Quid in meo agitis n mei? quo denique iure syluam meam cædit qua licentia fontes meos auertitis? qua potest te meos limites commouetis? Mea est possessi olim possideo. Prior possidens, habeo orig nes firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit re Ego sum hæres Apostolorum. Sicut cauerun testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicu adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæreda uerunt semper & abdicauerunt, vt extraneos & inimicos. Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinę, quam vnusquisque de suo arbitrio, aduersus Apostolos, aut protulit, aut recepit. Hæc isti nouatores ab eruditis præstantibusque viris, sibi quoque dictum intelligentes, cùm se ijs tum dicendo, tum scribendo, impares esse sentirent: hæretica licentia ad arma confugiunt, fictumque mendacium, quod ratione diuinæque scripturæ auctoritate non possunt, more latronum ferro defendendum existimant. Multa prætereo Philippe Rex Max. nec impias cædes ab istis admissas, aut sacrilegiorum genera enumero, quibus Dionysios omnes Phalaridasque vicerunt. Quæ cùm ita sint, noli me pati, à nefarijs hominibus, tetrisque latronibus diutius opprimi: neque ex ijs prouincijs, quas mille quingentis annis obtinui, indignè pelli. Hæc veritatis oratio,

Tertul. de præscript.

tio, Catholici Regis animum iam dudum ita mouit, vt cum illius patrocinium ab eius Maiestate susceptum sit: hanc non in vna alterá ue prouincia, sed pro illa magnitudine, quæ in bonorum solatium, illi vni est concessa diuinitus, in toto terrarum orbe defendat.

FINIS.

Omnia S. Romanæ Ecclesiæ iudicio submissa sunto.

Legi Orationem primam Philippicam P. Io. Dubliulij, nihilque in ea reperi quod fidei Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, aut bonis moribus aduersetur. Hac penultima Augusti, 1596.

Ioannes Chapeauille, Canon. Leodiensis.

Errata in impreſsione commiſſa, quorum numerus prior paginam, alter lineam denotat.

Pagina 32. linea 23. lege armantur. 34 6. candidum. & linea 7. pro omni leg auri. 35. 14. Facundi. 36 2. corrumpat. lin. 6 plumbo. & lin. 9. corrumpi 47 9 virum. 50. 2. pro multis, leg. nullis. 62. 12. manſiſſe. Felix. 64. 25. Protea. 68. 5. pro neque, lege nèque. 81. 2. doctoribus. 98. 25. fortè. 109. 7. arbitrabatur. 112. 10. θαυματουργος. 113. lin. penult. Pompeiopoli 118 25. Mirabiliarios. 121. 9. mirabuntur. & lin. penult. leg. eſt. 126. 12. dele alterum tertius. 127 12. illatum. 129. 18. vſque ad mortem. 133 20. pro Nam cum, lege Marcion. 134. 6. conſuunt. 138. 24. Rhemorum. 148 23. moliantur. 150. 13. carnibus, & lin. 25. ligati. 155. 7. lenius. 165. 30. maledico.